DE

SANCTO CYPRIANO

ET DE PRIMÆVA

CARTHAGINIENSI ECCLESIA

Paris. — Imprimerie de Ad. R. Lainé et J. Havard, rue Jacob, 56.

H. F. u. f. 79. (2 bis 2)

DE

SANCTO CYPRIANO

ET DE

PRIMÆVA CARTHAGINIENSI ECCLESIA

DISQUISITIONEM HISTORICAM

ATQUE PHILOSOPHICAM

Facultati litterarum parisiensi

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ DE FRANCE

PROPONEBAT LICENTIATUS

ÆMILIUS BLAMPIGNON

CUI SUBEST SIMEONIS METAPHRASTÆ HAGIOGRAPHIA
HACTENUS INEDITA

PARIS
LIBRAIRIE DE FIRMIN DIDOT
RUE JACOB, 56.

1861

DONS N° 10696

I. R. Q. D.

DOMINO RAVINET,

TRECENSI EPISCOPO,

VIRO AD JUVANDA OPTIMA STUDIA NATO

HUNC QUALEMCUMQUE LIBELLUM

Æ. A. BLAMPIGNON,

D. D.

Biblioteca Nacional de Colombia

INDEX.

Page

Præfatio 1

Caput I. — De Christianæ Africæ, in secundo tertioque sæculo, finibus, moribus atque institutis..... 23

Caput II. — Cypriani Ecclesiæque Carthaginiensis historia.... 85

Caput III. — Exponitur Cypriani et doctrina et scribendi ratio. 131

Caput IV. — De sancti Cypriani variis tum historiis, tum *legendis*..... 161

Appendix. — Βίος καὶ πολιτεία καὶ μαρτύριον τῶν ἁγίων Κυπριανοῦ καὶ Ἰουστίνης, auctore Simeone Metaphrasta, e codic. Biblioth. Imp. Paris., sæculi X, Coislin ms. 145..... 171

Index geographicus..... 205

PRÆFATIO.

Cum libros eos evolvimus in quibus virorum enarrantur vitæ qui, de re christiana bene meriti, cœlicolarum ordinibus adscribuntur, exquisita quadam et, ut ita dicam, acri fruimur voluptate, utpote qui singularis spectaculi, quo simul nobilitatur homo ac deprimitur, testes adstemus. In illo magno theatro, quamvis accurate vulgares rejiciuntur imagines, quamvis et quæcumque humana ac terrestria sunt repudiantur, hæc tamen sæpe videre et sentire necesse est. Nulla nimirum, ut prisci viri verbum usurpem, est tam firma moles quam non exedant undæ per nexus manantes. Hoc autem quod humanum est, variis rerum vicissitudinibus obnoxium, nunc dolor, nunc gaudium agitat; itaque nobis modo sidera ferire est, modo humi serpere. Sanctorum igitur annales versanti tristis et frequens occurrit nubes; etenim ei mentis humanæ quasi historiam legenti, crebro malis animus sollicitari studiis videtur, et, cum pugnis cruentissimis atque laboribus misceatur præduris, ab hoste non raro occupari. Tum atra nox incubare rebus, tum horrore circumdatus vir jacere. At statim e cœlo erumpunt radii, il-

luminantur omnia, gaudia summa nascuntur, atque suavi ex illa mœstitia deliciæ quædam puræ oriuntur quæ legentem ebrietate divina complent.

Ideoque vir quidam philosophus, benedictini ritu, cella in solitaria cum Bollandi libris includi se magnopere exoptabat, quippe qui his omnis deditus, et quasi alteri mundo adscriptus civis, novas et prorsus incognitas inde perciperet voluptates. Quod votum quibuscumque nil humani a se alienum habetur, haud absurdum sane videbitur. Etenim si vitæ rationem in exemplo sanctorum pius vir potissimum quærit, inde generosorum animorum fontem rimari ac mentis profundos recessus penetrare philosophus persequitur; et, in historiis horum sanctorum, de immenso bonarum artium regno litterarum criticus sibi provinciam ingentem conatur vindicare. At vero ea triplici mente quisquis potest illorum tractare fastos, tum puræ doctrinæ, tum moralis investigationis, tum politioris humanitatis festivam segetem collecturus. Quod si forsan hoc in loco nubes alicui videantur obstare, inclytis Mabillonorum, Ruinartiorum, Ceillieriorum, Tillemontorum nominibus hujus animus prorsus serenabitur. Ac ne quis, nimia reverentia timidus, vultus eorum qui in christianis rebus eminuerunt oculis liberis contemplari dubitet, ex intimo illo commercio recordetur majorem oriturum honorem, nedum rectus cultus imminuatur. Nempe, cum hominem discernimus, cum et rerum et temporum intelligimus apud eum notam ac signum, cum eadem quæ in nobis perspicimus, quid valeat victoria, quæ sit laus triumphi, tunc bene judicare possumus.

Jam vero præcellentium in virtute christiana hominum se, ut ita dicam, familiarem efficere, quam et utile et dulce

sit, inde etiam cognoscere fas est, quod sæpe sæpiusque et res et viros immutamus, quamvis uno aspectu cernimus. Aliud ex alio iter suscipitur; spectacula spectaculis variantur; sequitur vero idem comes.

Modo interius monasterium tibi inire, et quæcumque agantur videre, quæcumque dicantur audire licet; fratrum et quovis die et quavis hora conspicere exercitationes. Modo tranquillis e cœnobiis turbulentissimam ad imperantium vitam demigrans, potentium mores intueris, venatus scilicet, festas dapes, equestres procursiones, dies geniales, bella aut bellorum imagines. Ita, exempli causa, dulcis Walteri de Birbacho historia equestris pugnæ horum simulacrorum quibus summopere quadringenis abhinc annis nobiles ac militares viri delectabantur jucundissimam injicit mentionem. Walterius igitur ille qui Brabantinus civis erat ac natalibus insignis « cum præpararet se ad quoddam torneamentum, milites habens in comitatu, veniretque ad Ecclesiam quamdam, illos ut Missam audire vellent hortabatur. » — Quod cum negarent, religiosus vir in templo solus manet. At vero qui sacro functus erat, pugnæ susceptæ quidam testes ei occurrunt. Quos igitur interrogatus : « — Est ne, inquit, adhuc inceptum? — Dicentibus illis etiam, adjicit : — Quis fortius egit? — Respondent : Dominus Walterius de Birbacho. » — Vir sane, quamvis a pugnæ scena longe remotus fuisset, quamvis « sit mortale peccatum torneamenta exercere » egregiæ dulcisque victoriæ inclytam palmam consequi visus erat [1]. Divitum autem ab aspectu ac deliciis ad infinitam quam maxime miserorum turbam tran-

1. Bollandistarum, t. II, Jan., p. 447.

sire facile est, quos lepris, morbis, doloribus quibuslibet affectos reficit christiana spes ac recreat charitas. Hominum vero et rerum cum recessus ostendant intimos, cum animi latebras reconditissimas demonstrent, cum et ætatum et ordinum variorum aperiant secreta, sanctorum historiæ eos commovent ac delectant quicunque communis conditionis indagatores appetunt humana et mentis scientiam prosequuntur.

Enimvero nihil magis varium, nihil aspectu et indolis natura commutabilius, nihil et rerum et locorum et temporum magis multiplex quam doctissimis a Bollandistis collectorum imaginum longa series. Istam scilicet quasi pinothecam ineunti apparent coloribus depictæ diversis diversissimæ tabulæ : martyrum nimirum fortissimo atque ardentissimo exercitui succedunt tranquilla sub palmarum umbra sacræ solitudinis amantes, Pauli, Antonii, quivis e deserto patres. Dum locum alium occupat apostolorum cohors laboriosa et potens, alius dulcibus virginum imbellium, Agnetis aut Cæciliæ, tribuitur imaginibus. Miscentur episcopi et milites, imperatores et coloni, politissimi civitatum incolæ atque agrestiores villici ; hic imperii romani in legibus, et foro, et ludis, et proconsulibus, et tribunis, in rebus omnibus virisque versamur; illic cum Bernardo et Brunone, mediis in sylvis, asceticæ vitæ provinciam intramus. Hic agrorum ubertas, flores, fructus, aquæ, putei, fontes, rusticanæ vitæ officia quæ tota ætatem antiquam, pristinos mores, bibliorum veterum patriarchas olet; et si quid forsan horrescit, ut rupes, ferarum cubilia, hoc quidem ad tabulæ illius ornatum fuisse compositum videtur; inter quæ conspicere licet homines quibus erat in votis ut in natura versati e natura

exirent. Illic civitatum tumultus, fremitus salutantium, militum clamores, murmur fori, populares strepitus, motus mercatorum, viarum frequentissimarum fragor, inquieta et anxia imperantium consuetudo, quibus tamen in rebus remoti ab omnibus sollicitudinibus et curis, solent nostri secreto et suavi recessu potiri, utpote qui non apud alios loqui didicerint, sed ipsi secum. Ab afflicta, labefacta, ruente societate ad juvenem atque floridum cultum sæpe sæpiusque transimus. Illi profecto ingenuam Romanorum linguam, quanquam aspere, loquuntur; Græcorum vero, quorum servitute diuturna attritam et obtusam mentem acuit renovatque ardens rei christianæ studium, vividum ac numerosum ore adhuc rotundo sermonem habent isti, quamvis Periclis a sæculo longissime distent; sed permulti mentibus atque nemoribus suis elapsi, barbaras sane, at lucidas semper et nativas ac sæpius poeticas voces usurpant.

Cum flagrantissimi solis ignibus splendent historiæ quas Thebaidis cœnobitæ ad fontis caput enarrant, septentrionis mœstitia et nubibus obduci solent Britannicorum monasteriorum *legenda*, ut Columbani Hibernorumque vitæ, severa et quasi ferrea regula deductæ.

Cuique suum igitur ingenium permanet integrum. Dum spirat Athanasius leonis vigorem, dum Irenæi et Cypriani sermo ostendit pectus martyrio paratum (habent enim, ut jure ait Erasmus [1], martyres suam quamdam dictionem seriam, fortem ac masculam), incredibili quadam et mellita suavitate Francisci Salesii labia stillant. Quod si Theresiarum est pabulum rerum divinarum consideratio atque contemplatio, Vincentis a Paulo filiæ in laboribus, in cu-

1. *Præf. ad Irenæum*, ed. 1534.

ris, in assiduissimo tum agrorum tum pauperum commercio versantur. Ægypti veteris inter ruinas et tumulos, radicibus paucis atque modica contenti aqua, aut, Carmeli prope oleas, tenui olere læti, Orientis priores solitarii animi cultui omnem operam navabant; qui vero apud Occidentales vitam vivunt, in arando desudant, dumis extricant agros, agitantur, inter corporis labores et mentis studia dividunt horas. Quos tamen omnes movet pietas eadem, idem votum, eadem spes. Et sicut solis effigies, speculo reddita, radios ubique circumspargit, cuique tamen rei quam illuminat proprium et colorem et formam præbet,

> Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis
> Sole repercussum, aut radiantis imagine lunæ,
> Omnia pervolitat late loca; jamque sub auras
> Erigitur, summique ferit laquearia tecti;

ita quodlibet Bollandi volumen evolventi, omnia fulgere videntur repercussæ sanctitatis imagine cujus radii modo regum turres, modo tabernas pauperum ab ortu ad occasum illustrant ac decorant; res vero, eodem licet lumine recreatæ, aspectum, sibi quæque suum obtinent.

Quis enim nescit ætatem suam et res et homines signis certis semper declarare? Hinc martyrum tempore pleraque tum fortia tum pura traduntur, utpote a Romanis adhuc viris scripta; deinde, postquam barbari jam imperium introierunt, enarranti duriora sonant verba. Ut mediæ ætatis florent splendidiores anni, paulatim de sanctis historiæ, cathedralium more ecclesiarum, disciplinam mollem, poeticam formam, nitidum et quasi hilarem habitum suscipiunt. Tum flores nascuntur, tunc fructibus exuberant rami. Ac si medii illius ævi scriptor priorum

sanctorum res gestas explicabit, ingenii proprii signa clarissima invenies. Cum ille in primorum cœlitum vitis incumbit, vividis templorum a coævis suis ædificatorum coloribus et splendide supervacuis ornatibus utitur. Alter urbis imperatoriæ virgines, ut quæ in parvis Burgundiæ vicis aut inter Campaniæ colonos tertio decimo sæculo vixerint, solet exhibere; alter nascentis Ecclesiæ pastores haud aliter depingit atque opulentissimos ac potentissimos hujusce temporis episcopos. Ex quo fit ut vir sane et ætate posterior et doctrina eminens, Baronius nimirum, Cyprianum nostrum et purpura et veste quibus romani cardinales induuntur nobis exornatum declaret. Attamen sub eis commentis vir bene oculatus reliquas primævæ simplicitatis signa potest aspicere, sicut e scriptis Quinti Curtii ac Plutarchi verus Alexander intelligitur. Jam vero ii sancti vulgatissimi, quorum videlicet vitæ, rerum ipsamet natura, sæpius narrabantur, vestibus, ut ita dicam, ditioribus imprimis decorantur. Sic, exempli gratia, Sebastiani et Catharinæ acta sacris et poetis et scriptoribus quasi dicendi argumenta et canendi materiæ fuerunt. Inde fit ut inter frondeam illam chartarum sylvam prisca evanuisse videantur, et ingenuorum loco librorum exornatas ac suavissimas habeamus enarrationes quæ scholasticam amplificationem olent, quæque disputationibus philosophicis et theologicis occupantur quæstionibus. Itaque Sebastianus moriturus de variis longe disserit ac præcipue *judiciariam astrologiam* curiosius confutat.

« Præcipe hodie ad te mathesis venire doctorem cui dicas illo tempore te asperis casibus laborasse, et inquire per quas stellas hoc tibi evenerit mali; responsa ejus erunt procul dubio talia : quod tempus tuum a

malitioso Marte susceptum est, aut Saturnus apocasticus fuit, aut annus tuus ex diametro susceptus est, aut climacterica tibi in centro sunt nata, aut syndetus fuit cum malo, aut invisibilis, aut in schemate, aut immobilis circa te exstitit cursus in stellis. Hæc et similia cum dixerit, rationis tibi verisimile assignare nititur, aliquid et probare [1]. »

Quamobrem ut quid antiqui, ut quid primoris, ut quid certi de Sebastiano habeamus, elaboremus et insudemus necesse est. At plerumque sanctorum apud plebem minus valentium acta ad nos puriora et integriora pervenerunt. Haud aliter inter deserta romanæ ruinæ apparent quasi intactæ.

Inde, quinque et viginti millia vitarum quibus Bollandistina collectio conflatur tractantes [2], dum mare istud vastum tentamus, cœli et littora crebro mutantur, quippe cum anni ecclesiastici dierum rationem naviter Bollandistæ consecuti fuerint. Attamen nonne operæ pretium esset secundum regiones et ætates de sanctis componere libros? Quod sane Britannorum nostrorum causa egit vir profecto eruditissimus et naris emunctæ [3], at cujus urbanitas intempestiva immites Armoricæ fruges longe a se rejecit, ut Parisiensium tritum cultum exhiberet, nedum priscarum sylvarum atque frigidorum littorum acrioris odoris flores accurate indagaret. Magis vero ingenue, Campaniæ Trecensis res sacras collegit vir prorsus simplex [4] quem nimirum doctioribus ii anteponunt qui mo-

1. Apud Bolland., I. II, Jan., p. 274.

2. Quem numerum mihi præbet vir de historia optime meritus *Hist. civil. in G.*, lect. XVII.

3. D. Lobineau, 1717.

4. Des Guerrois, 1637.

rum pristinorum suffimento delectantur. Verum enimvero inter ἁγιογράφων scriptores plerique omnes, sive *legendæ aureæ* longobardicus auctor, sive græcus Metaphrastes, sive hispanus Ribadeneira, sive germanus Surius, sive Bollandistæ belgæ, kalendarii ordini studuerunt, ut piis legentium animis se accommodarent.

Imo, Lobinelli instar, historiam sanctorum permulti secundum propriam mentem solent dicere. Metaphrastes quidem cujus libri, quo nescio facto (paucis tamen exceptis vel a Surio et a Bollando latine redditis, vel a Cotelierio aut quibusdam aliis in lucem editis), adhuc in tenebris jacent [1], more Græcorum in infima ætate scribentium omnia evolvit, explicat, μεταφράζει, seu etiam proprio marte incudit. Quæ vulgo apud suos tradebantur at minime æqualium documentis curavit Jacobus de Voragine. Eo fere ritu plerumque Ribadeneira et symbolice dictis et ingeniose dictis et tantummodo indoctum apud vulgus acceptis, ut certis, ut sinceris, ut integris utitur. Sed ii saltem simplices ac pii viri ætatem suam jucunde redolent, dum permulti, Surii more, male auctoribus coævis consulentes, vetustam dicendi rationem commutant, atque ita nobis nec utilia nec amœna præbent, quippe qui neque merum stylum neque puram cujusque rei indolem exhibuerunt, at vivos colores adulterarunt, fontes turbarunt limpidissimos ac blandissimos atque miscuerunt, vitri splendorem per quod translucide

1. S. Metaphrastæ codicem recens ab Oriente relatum vir in Græcis litteris sagacissime versatus atque incredibili erga tirones benevolentia præditus Æ. Egger mecum humanissime communicavit. Imo Migné in *Patrologiam* suam Metaphrastem nobis sese inserturum pollicitus est.

viderentur et mores et homines, obscuraverunt et texerunt velo. Melius profecto meruerunt de sacris qui, Tillemontorum, Ruinartiorum, Cotellieriorum vestigiis instantes, monumenta ipsa decenti doctæque disputationi tradunt, atque ad justæ pondera libræ solent ipsi æquare.

Ego vero, si dicto absit invidia, dulciori afficior voluptate, cum mihi quæcumque sincera, quæcumque nativa, quæcumque prisca sunt, calamo licet fragili exarata, tractare datur. Potissimum si his quæ probat Ecclesia delectabitur mens christiana, quæ tamen ætatis suæ veram habent notam, cum etiam minorem fidem obtinent, suavi semper affectu recreant animum. Ideoque me imprimis juvant et Mabillonius qui Benedictinorum suorum sancte gesta conscripsit, et Ruinartius cujus opera martyrum acta collecta fuerunt, et inter illos facillime princeps Johannes Bollandus cum eruditissimis ejus successoribus qui potiora documenta ex ipsis sæpissime primigenis codicibus verbotenus atque ad litteram eruerunt. Quibus sane nihil fuit antiquius quam voces vetustissimas ipsas et barbariæ infectas labe, e primoribus chartis suos in libros transferre; atque etiam, quandocumque potuerunt, aquas, quæ puriores forent, e fontibus propioribus hauserunt, nedum quo politior et accommodatior ipsis sermo videretur minima fœdarent. Legentis est judicium et censura, fructus et oblectamentum.

Attamen cum Simeonis cognomine Metaphrastæ, tum Jacobi a Voragine, tum Ribadeneira, tum Aloysii Lippomani, tum præcipue carminum media ætate confectorum, tum jucundorum illorum opusculorum quæ vulgo *legenda* nuncupantur codices cum sinceris atque anti-

quissimis chartis componere, haud inutilis est nec sine pretio opera. Ut in ædificiis sacris primigenium opus et lapides posterius adhibitos internoscit vir peritus, sic in sanctorum vitis a prioribus monumentis quid novi ætas quæque addiderit rebus et super addiderit, discernendum est. Is igitur litteris christianis sese utilissimum præbere posset, qui noctu incubando diuque beatorum principum vitis, historiæ, ut ita dicam, *comparatæ* studeret, qua nimirum de quoque homine sacro scriptis scripta conferret. Ita res ab ipso fonte, ab eis quæ tradiderunt æquales, a primis documentis repetiturus, per ætatis mediæ carmina, mysteria, codices varios quæque consecutus vestigia, ad severioris ac durioris notæ censores, tanquam Godescardum aut Albertum perveniret. Illi vero videndum esset ne, angustiori et minori præditus ingenio, facta vel dicta quæ a patria, a mente, ab ævo suo abhorrerent, fastidii delicatissimi homo dedignaretur ac respueret. Etenim qui mores ingenuos requirunt, eis non ædificium exornatum et recenti veste quasi indutum, at ipsum pristinum potissimam affert delectationem. Ex his tantum oritur sincera illa voluptas quæ animum imbuit, cum rerum quæ a nobis et ætatibus et regionibus longissime distant, oculis nostris vividiores imagines subjiciuntur.

Quæ omnia cum sæpenumero cogitarem, sancti cujusdem hominis optabam reddere similitudinem; ac deinde juxta sensus singularum ætatum varias eodem ab ἀρχετύπῳ ductas effigies voluissem exhibere. Hoc erat in votis; at vero qui id propositi expendebam, qui mecum versabam quid debiles ferre recusarent, quid valerent humeri, optatum onus intellexi non sine magna

laboris et ingenii impensa suscipi posse. Illis igitur humiliorem, et tamen nondum viribus æquam, materiam sumpsi. Primum igitur sancti unius viri imaginem pure depingendam suscepi; deinde præcipuas tantum illius effigies in variis sæculis effectas ostendam. Ergo thesim illam, favente imprimis præstantissimo ac benevolentissimo hujusce amplissimi collegii præside, Cypriani rebus et moribus scribendis inauguravi, qua nimirum egregii istius hominis et dicta et facta consecuturus sum, atque ut ipse lucidior appareat, Ecclesiam illam Carthaginiensem qua ætate eam regebat restituendam mihi propono. Quæ præterita ut reficiam, tessellato quasi in opere, hanc in aream a Cypriani potissimum et ab Africanorum ejus ævi auctorum scriptis res referam. Ne autem Pompeianorum civium more agam qui *topiis* magnopere delectati, uni tabellæ accumulabant quævis et commentitia et imaginaria, mihi modo materia antiqua et pristino colore utendum est. Et solummodo calx atque arena quibus structura coagmentabitur artificis erit; imo, ut Vitruvii more loquar, cavum medium in vermiculato habere quam tesseras nuper confectas collocare pluris putamus, licet marginem forte recentioribus ab officinis duximus. Utinam igitur aliquantisper nobis liceat revocare a tenebris memoriam prioris illius Ecclesiæ africanæ cujus tumulus incunabulis propior fuit, quæ tamen paucissimos inter annos quibus donata est fortis, ardens, severa eminuit! Utinam societas illa quæ a teneris lucebat inter atroces suî oppugnatores, utpote animorum liberorum virtutis ac virium exemplum, quam solummodo motus a barbaris ventus exstinxit, Tertullianis, Cyprianis ac tandem Augustinis suis super-

biens, hodie nobis sui genuinam præbeat imaginem, vivos exhibeat vultus, secreta animi sui prodat!

Quibus prædictis, ne a via deterrear laboris magnitudine, exoptatum portum conspiciam oportet, et ut fausta sit navigatio, ab optimis ducibus indulgentiam rogem. Et nunc qui illis ab eximiis rectoribus auxilium speramus, Deo præsule, ut nostri solent dicere, ventis demus vela, ineamus cursum et infame scopulis tentemus mare.

DE

SANCTO CYPRIANO

ET DE PRIMÆVA

CARTHAGINIENSI ECCLESIA.

CAPUT PRIMUM.

De Christianæ Africæ, in secundo tertioque sæculo, finibus, moribus atque institutis.

A Caio, Germanici filio, quem Mauretaniam duas in partes Plinius divisisse declarat[1] ad Diocletianum, quo auctore, inquit Lactantius[2], ut omnia terrore implerentur, provinciæ velut in frusta sectæ sunt, quatuor in Africa provinciæ fuerunt, proconsularis nimirum sive Zeugitana, Numidia, Mauretania Tingitana ac Mauretania Cæsariensis.

Duplex imprimis hominum genus, cum Afrorum in animos Evangelium irrepsit, alebat illa terra, alterum scilicet barbarorum qui vagi, palantes, campos interiore in regione sitos præsertim frequentabant, quique etiamtum Numidarum Maurorumque

1. *Histor. natur.*, V, 1.
2. *De Morte persec.*, VII, 4.

veterum ritus colebant, alterum vero humanitate limatorum qui maritimis in littoribus solebant habitare, quique vel civitate donabantur, vel more vivebant romano.

Nunquam enim Romani, subacto Pœnorum imperio, Numidas aliosque Africæ populares domare omnino potuerunt. Namque ut Hispania Africa quovis in ævo fuit et locorum et virorum ingeniis *bello reparando aptissima*. Huic sane orbis parti contigit ut semper gentibus ac civitatibus politissimis barbari finitimi essent. Atque ipsa Augustini ætate Hipponensium et Carthaginiensium villas maximo cultu adornatas tum Mauri, tum Garamantes, tum cæteri interdum deprædabantur; jamque bastagas, inito pacto, præsentique pecunia protegere, ne prorsus omnia diriperentur, invitis etiam viatoribus, admodum necesse videbatur [1]. Insuper servis littus abundabat, nam Carthago non modo vestes et pecora, sed et mancipia mercabatur [2]. Quamobrem cum coloniis, municipiis, cothonibus fruuntur victores quicumque, vere Afri per fundos, per deserta, per locos a mari remotissimos, antiqui Orientis patriarcharum priscam agunt vitam. Neque vero elapsis sæculis, neque revolutis per varias vices quinque imperiis ingenium Africanum mutari potuit. Quos nempe invenerunt Pœni, quos et Romani et Van-

1. Augustin., *Epist.* XLVI. — Videsis Saint-Marc Girardin doctas de rebus Africanis commentationes, *Revue des Deux-Mondes*, 1841 et 1842.

2. Cardinalis Maii *Palimpsest.*, III, n° 37.

dali et Sarraceni habuere, eosdem accepit Gallia, eosdem habet. Victis et victoribus nunquam in unum corpus confusis, suis quisque potitur moribus.

Romæ quasi faciem in Africa Carthago repræsentabat, utpote quæ senatum haberet et copias militares, ludis celeberrimis decoraretur, magnificas contineret ædes, multos tandem et rhetores et philosophos et jurisperitos possideret. Etenim « illic, inquit Salvianus [1], omnia officiorum publicorum instrumenta, illic artium liberalium scholæ, illic philosophorum officinæ, cuncta denique vel linguarum gymnasia vel morum; illic quoque etiam copiæ militares et regentes militiam potentes, illic honor proconsularis; illic quotidianus judex ac rector, quantum ad nomen quidem proconsul, sed quantum ad potentiam consul; illic quoque omnes rerum dispensatores, et differentes inter se tam gradu quam vocabulo dignitates, omnium, ut ita dicam, platearum et compitorum procuratores, cuncta ferme et loca urbis et membra populi gubernantes. » Unde alterum post Romam orbis terrarum decus Carthaginem vocat Solinus [2]; almamque urbem plurimi eam dicunt. Attamen non hæc tantum Africæ urbs princeps, sed alia quoque oppida theatris, thermis, capitoliis replebantur. Atque Africanæ Inscriptiones tum antiquitus tum recens editæ eosdem quos in Italia et in Africa mores atque usus exstitisse significant, nimirum ma-

1. Salv., *de Prov.*, l. VII.
2. *Polyhist.*, c. XXX.

gistratus, sacerdotia, dignitates easdem memorant, balnea, ludos, epulas, viscerationes præbent; cæterum ædes similes occurrunt, porticus scilicet, templa, fornices, capitolia. Imo *æqualibus lineis*[1] quibus summopere omnes delectantur coævi ædiles, jam superbiebat perelegans civitas.

Verum inter Carthaginis ædes potissimum celebrabantur sacra Memoriæ ac Cœlesti templa; Cœlestis enim idolum summa apud Afros observantia colebatur. Hanc quidem deam Cœlestem, veteris Carthaginis præsidem, Uraniam vocat Herodianus[2]; cujus et ferias Augustinus describit[3]. Illius sane templum amplissimum fuisse permultisque egregiis signis inclytum traditur; ejus et platea columnis et mœnibus decorata patebat ad duo fere passuum millia[4]. Quas vero sacras ædes ætate posteriori Christo dicavit Aurelius, cum, auctore Urso tribuno, plurima templa diruta in sepulturas verterentur[5].

Sed Cypriani tempore, deorum imperii domus, integro fulgentes decore, marmoribus variis eximiisque imaginibus, ære multo atque auro exornabantur; ipsæ et viæ regali luxu splendidæ erant; atque imprimis ea quæ prope a Cœlestis fano inde nominabatur, quamque Vandalici funditus deleverunt,

1. Card. Maii *Palimps.*, III, nº 37.
2. *Histor.*, l. V, c. VI.
3. *De Civitate Dei*, II, 26.
4. Salvianus, *de Gubernat. Dei*, VIII.
5. Auctor *de Promissionibus libri*, II, 38, inter *S. Prosperi Opera*, qui hujusce templi consecrati testis oculatus fuerat.

omnibus et maris et terræ opibus abundabat [1]. E ruinis forsan ea olim eruet qui jam in lumen multa restituit vir doctissimus atque munificentissimus [2].

Rhetorices interea publicæ scholæ potissimum florebant, quarum ab ostiis candidum pendebat velum quod poetarum fabulis sæpius obtegi vera declarabat. Nam apud Afros, uti refert Tertullianus, philosophiæ ac bonarum artium studia maximo gaudebant honore [3]. At ludimagistri, velut vocari solebant, ac cæteri litterarum amantes inter Afros sicut et inter Græcos et inter Romanos magnopere ritibus antiquis erant addicti. Quin imo quilibet ludimagister in schola sua habebat tabulam seu laterculum septem idolarum quibus septem planetæ significari arbitrantur. Qua fortasse figura docebantur quid quaque die acturi essent discipuli [4]. Septima erat otio data; sexta mos erat quæ tota hebdomade vel audiverant vel scripserant, repetere ac quasi congregare, unde Juvenalis hæc jam habebat :

> Nil salit Arcadico juveni, cujus mihi sexta
> Quaque die miserum dirus caput Annibal implet.

1. Victor. Vit., *Hist. persec. Vand.*, p. 5.

2. Conf. Beulé, *Journal des Savants*, 1859-1860.

3. Conf. Apuleii *Florid.* XX. « Quæ major laus aut certior quam Carthagini benedicere ubi tota civitas eruditissimi estis, penes quos omnem disciplinam pueri discunt, juvenes ostentant, senes docent? Carthago provinciæ nostræ magistra venerabilis, Carthago Africæ musa cœlestis, Carthago camœna togatorum. » Vide et *Florid.* IX et *Florid.* XVIII.

4. Tertullian., *de Idol.*, X. « Quis ludimagister sine tabula septem idolarum? » Conf. doctissimi Rigaltii Commentarium.

Aliis autem diebus, studiis consuetis operam navabant. Hâc etiam de tabula qua variarum rerum horæ religiose componebantur, eos quos *ad nationes*[1] Tertullianus scribit libellos conspicere licet : « Estis, inquit, qui etiam in laterculum septem dierum solem recepistis, et ex diebus ipsum prælegistis quo die lavacrum subtrahatis, aut in vesperam differatis, aut otium et prandium curetis. » Præter tabulam illam, quinquatria rhetores colebant, Minervæ sacra, quæ ludimagistrorum festa fuisse Ovidius memorat[2]. Ei profecto Minervæ primam novi discipuli stipem offerebant; ac Floræ sacris scholæ coronabantur[3]. Jam deorum nomina, genealogias, historias, ornamenta tandem honorifica et solemnia explicarent ludimagistri necesse erat[4]. Illis vero asperrime Tertullianus exprobrat veteris cultus amorem, utpote qui vitam ita tolerarent[5]. Sed dulci poetarum commercio lætantes, antiquas Athenarum et Romæ fabulas, humanos Homeri et Virgilii deos eos dilexisse rectius existimaret. Deorum enim nominibus consociabantur et magnorum virorum imagines, et patriæ gloria, et litterarum honor, et cultus parentum, præteriti denique ævi decus omne.

Rhetores quidem illi quibus annumerati sunt multi qui clarissimi postea apud christianos evaserunt et

1. *Ad Nationes*, I, 13.
2. III *Fast.*
3. Tertull., *de Idol.*, X.
4. Tertull., *ibid.*
5. Tertull., *ibid.* 5.

inter quos præsertim Cyprianus noster visus fuit amplissima valebant auctoritate, atque inter civitatis principes adscribebantur. Homines enim quos potissimum pulchrarum ac bonarum litterarum studia delectabant, quîs vetus Romanorum et Pœnorum sanguis inerat, eloquentiæ vel sola imago maxima voluptate afficiebat. Unde fit ut scenæ spectacula eo quo fori olim orationes prosequerentur ardore, e quibus incredibile solatium haurire populus solet qui humanitate politus publicaque orbatus libertate, ab omni cura et rerum administratione vacat.

Spectaculorum igitur amantissimi Carthaginienses erant. Theatra olim nuda, tunc velis et carbasis tegebantur, quo jucundiora essent[1]. In illis interdum Terentii agebatur comœdia, et ita romanum mare ingenium africanum relegebat. Quantum vero fuerit spectaculorum studium Tertulliani et Cypriani verba declarant. Ea sæpe sæpiusque christiani frequentabant et rebus et actoribus summopere delectati. Quæ ergo Africanus episcopus indignatione inflammatus, non excusatione modo tegi, sed quandoque probari indignatur. « Nam, inquit, quomodo id quod in honore alicujus idoli ab Ethnicis agitur a fidelibus spectaculo frequentatur, et idololatria gentilis asseritur, et in contumeliam Dei religio vera et divina calcatur? Pudor me tenet præscriptiones eorum in hâc causa et patrocinia referre[2]. » — Deinde inter

1. Tertull., *Apolog.*, VI.
2. *De Spectac.* II, VI. Int. *Cyprian. Oper.* Cf. *Cypriani Epist.*, I.

ludos sacrificia fuisse asserit, actaque esse in theatris « adulterorum fallacias, mulierum impudicitias, scurriles jocos, parasitos sordidos, ipsos quoque patresfamilias togatos, modo stupidos, modo obscœnos. » — Græci vero qui hujusce ætatis quasi Itali erant, ad Afros musicos mittere solebant, qui tum bellicos cantus, tum lugubres edebant sonitus, tum tubæ vocem mittebant[1].

Præter scenicam rem, et gladiatorias pugnas Africani non secus ac Romani magnopere appetebant, in quibus et hominum et belluarum certamina spectabantur. Belluam autem arte mira erudire,

Ut bibat humanum, populo plaudente, cruorem[2],

quæ fortasse clementior foret, si non illam magistri crudelius sævire docuissent[3]. Quandoque in circo miseri et gladiatores sacerdotum arbitrio quasi hostiæ mactabantur; et cruor de jugulo exceptus spumanti patera, idoli, calidus adhuc, in faciem jactatus crudelissime propinabatur[4]. Hinc, scribens ad Donatum virum sibi amicissimum atque sapientia commendabilem omnino, illique *blandientium voluptatum* fontem patefaciens, significat Cyprianus quo furore et qua libidine publicis in ludis Carthaginienses sanguinem amarent, exoptarent, oculis atque

1. *De speet.* VIII,
2. Petr., CIX.
3. *De Spectac.*, V.
4. *De Spectaculis*, V.

animo quasi ebiberent. Illic gladiatorem fortioribus impletum cibis, ut *saginatus in pœnam* charius periret ostendit; illic juvenem depingit in bestias sponte pugnaturum, *dum spectat pater, dum frater est in cavea, dum soror præsto est.*

Quæ quidem horrenda Carthaginiensis populi ac Romanorum jam in ruinam inclinatorum edebat desidia. Cum vero in studiis a nobis minus alienis versarentur divites viri, tum, ut apud homines quos voluptatum usus ac luxuria mollivit, fieri assolet, inanem atque irritam sæpius operam impendebant. Plerique enim contendebant in cursibus, et quod equus velocior fuisset gaudio, quod vero pigrior mœrore replebantur; nempe, ut vere equorum, quavis in ætate, decet peritos, annos memoriter cujuslibet equi pernoscebant, ejus et prosapiam, avos atavosque ipsos designantes. Quæ sane omnia nobis declarans *de spectaculis* libri auctor et otiosa et turpia negotia non immerito vituperat [1]. Jam diu pecuniæ cupidam juventutem generosam cum avaritia superbia atque mollities invaserant. Cæterum civitatem totam delectabant mimi, funirepi, præstigiatores omnesque ludiones [2]. Ita, Carthago, æmula morum romanorum, otia consequi, dedecori laborem, honori summo divitias et voluptates habens. Gemma bibunt cives, in pluma

1. Cap. v. Cf. Tertull., *de Spect.*, c. XXIII.
2. Apul., *Florid.* XVIII.

dormiunt, equos mercantur, fulgent in purpura[1], neque somptui neque modestiæ parcentes. Inde nulla in clientes largitio, cum indigentibus nulla participatio[2]. In tanta tamque corrupta civitate, apud populum natura ardentem, segnitiæ deditum, in otiosis versatum, in regione quæ calore solis exæstuat, permulti impudici, ganeones, adulteri, perditissimi et profligatissimi. Quare scriptor asper, vere Africanus, terram illam libidinum tædis semper conflagrasse dicit, eamque obscœnarum flammarum Ætnam vocat[3]; sæpius scilicet ignem suscitabat superstitio, nedum opprimeret. Deam Cœlestem potissimum fœdo cultu afficiebant; atque illius ante delubrum ubi collocabatur simulacrum, turpia celebrabantur[4]. Eo impudicitiæ processerant Afri, ut nihil esset supra; itaque Salvianus exclamabat indignabundus : « Quis non omnes omnino Afros impudicos generaliter sciat, nisi forte ad Deum conversos, id est fide ac religione mutatos[5]? »

Nihilominus inter illos viros cupidinibus deditos, festivis cœnis assuetos ac largis dapibus, vestibus auro collucentibus et purpura magnifice indutos, fascibus et honoribus sæpius oblectatos, clientium stipatos cuneis[1], Christianorum severus ac plebeius cultus, simplex solitariaque vita, mensa tenuis incredibilem

1. Cypriani *Epist.* I, c. XI et XII.
2. Salvian., *de Provid.*, VII.
3. Augustin., *de Civit. Dei*, II, 26.
4. Salvian., *de Provid.*, VII.
5. Cyprian., *Epistol. ad Donatum*, I, 3.

discipulorum multitudinem in partes suas celeriter adduxit. Plurimi quidem e vulgo primum, deinde e divitibus et delicatis, sese voluptatibus eripientes, oratores Christianos inter *areas* ac secreta quærebant, ut duram fortemque Evangelii vitam discerent.

Diuturna quidem pace usam esse Africanam Ecclesiam arbitrari licet. Nam alterius ante sæculi finem ne semel quidem Christianam fidem oppugnatam esse videmus, neque ulli dicuntur martyres. Jam Commodo imperitante, ubique terrarum in tranquillitate res Christianas versatas fuisse compertum est[1]. Quo mortuo, inter turbulenta reipublicæ tempora, eadem pace compotes; Severus autem qui Ecclesiæ primum favit, utpote qui a P. Torpacione quodam, Christiano viro, sanatus, ei illiusque sociis sese memorem præbuerit, ducentesimo anno, *persecutionem* exercuit quæ sexta dici solet. Universam illam ac sævissimam fuisse constat, imprimis apud Afros. At jam ad ultimos alterius sæculi annos, quorumdam Christianorum cædibus Africana terra perturbata fuit; jam a vulgo incredibilis in nostros vis fuit adhibita, cum tamen, inquit Tertullianus, nihil hostile spiraret adhuc de senatu, de equite, de castris, de palatiis ipsis. Etenim, Saturnino proconsule et Claudio consule, Carthagine interempti fuerunt Scillitani martyres quorum egre-

1. Eusebii V, 21.

gie acta legimus, antiquissima Christianæ Africæ monumenta[1].

Cum vero in Christianos leges dirissimas ediderit Severus, longe lateque per Romanas provincias persecutio grassata est; in qua potissimum Afri multa perpessi fuerunt. Ea nimirum causa Tertullianus plures scripsit libros, *Apologeticum* scilicet, *ad nationes* et *ad Scapulam* procuratorem, ut Christianos vehementissime oppugnatos et, ut ait, decimatos conquereretur. Attamen inter eruditos homines anglos celeber Dodwellus victimarum de multitudine aliquid demendum esse statuit[2], quem et sapientissime et apertissime Ruinartius noster impugnavit[3]. Illique insuper suppetias ivit doctus quidem Germanus Mosheim, sed moribus atque stylo asperrimus, qui, Ruinartii licet provinciam suscipiat, eum tamen *in hoste explodendo frigidum* fuisse, utpote *inter gallicas nives versatum* fastidiosus significat[4]. Si quis tamen res simplici rectaque via percurrere exoptet, factaque potissimum, non irritas disceptationes conquirat, si quis præsertim non nimius alienorum laudator, nostros aliquo in numero putet, Ruinartii tum martyrum acta sincera, tum optimæ dissertationes ei plane sufficient.

1. Apud Ruinart. et Mabillon., *Veter. Analect.*, T. IV.
2. Dodwell, *Dissertat. Cypr.*, XI.
3. *Præf. ad Acta Martyrum sincera*, sect. II.
4. J.-L. Mosheim, *de Ætate apologetici Tertulliani initioque persecutionis Severi disquisitio*, sect. VII. Ejusdem conf. *de Athenagoræ ætate dissertationem.* In *Biblioth. theol. hist. phil. Bremæ.*

Quo vero furore in Christianos actum fuerit et sæculo secundo exeunte et potissimum ineunte tertio testes multos accepimus. De Ægypto sua, Clemens sese singulis diebus abundantes martyrum cruoris fontes vidisse declarat, ἡμῖν δὲ ἄφθονοι μαρτύρων πηγαὶ ἑκάστης ἡμέρας, ἐν ὀφθάλμοις ἡμῶν, θεωρούμεναι [1]. Carthaginiensium autem ostendunt immanes animos Perpetuæ ac sociorum acta quæ inter et pretiosissima et certissima fide comprobatas nascentis Ecclesiæ Africanæ reliquias sunt adscribenda. In libro quem *ad Martyres* in carcere constitutos scripsit ea tempestate Tertullianus, gladios, cruces, bestias, ignem, exsilia, metalla sæpe sæpiusque explicat, atque omne carnificis in tormentis ingenium in conspectum ponit.

Exstincto Severo, Caracalla qui, ut habet Tertullianus, Christiano lacte fuerat educatus, qui tamen a Christianorum moribus sese præbuit alienissimum, in plurimis imperii provinciis ac potissimum in Africana inceptas inimicitias continuavit. Carthagine nimirum procurator Scapula fideles comburebat, licet inter eos nemo unquam imperatoris hostis repertus fuisset.

Ecclesia tandem Africana a Macrino ad Decium usque paululum respiravit. Attamen Maximinus Alexandri odio Christianos vexavit, et imprimis, auctore Eusebio, τοὺς τῶν ἐκκλησιῶν ἄρχοντας jussit interfici; imo cædes nunquam omnino intermissæ fuisse

1. *Stromatum* l. II, p. 494, ed. Potteri.

videntur. At vero tepidos ignes vehementer excitavit Decius. Quo nimirum principe, totum imperium Christianorum sanguine redundavit; in Afros potissimum et sævissime actum est. Quam vero fuerit immanis tumultus e Cypriani litteris apparet. Etenim laudibus martyres prosequitur, exsules et captivos verbis et opibus recreat, confessoribus animos addit, diaconis ac presbyteris ecclesiæ suæ mandat ut summa cum cura dies quibus interempti fuerint annotent, plurima tandem nomina tradit. Inter multos laudat Numidicum presbyterum qui « hortatu suo copiosum martyrum numerum lapidibus et flammis necatum ante se misit, qui uxorem adhærentem lateri suo concrematam simul cum cæteris lætus adspexit, qui tandem ipse semiustulatus et lapidibus obrutus et pro mortuo derelictus, a filia quæ patris corpus requirebat refocillatus, a comitibus quos præmiserat remansit invitus [1]. »

Decii in Christianos sævitiam Gallus imperator imitatus est. Prosiluit, inquit Cyprianus, adversarius terrore violento Christi castra turbaturus; sed ad pugnam « non singuli milites, sed tota simul castra prodierunt. » Valerianus, qui Decium in principatu consecutus est, erga nostros primum optimos affectus volutans, deinde eorum tantum effudit sanguinis ut principem locum inter inimicissimos Christi hostes obtinuerit. Episcopos quidem, clericos, fideles, imo

1. *Epist.* XXXV.

pueros ac puellas cæsos fuisse in omni tormentorum genere e Cypriani litteris compertum est. Multorum Cypriani discipulorum acta qui in Africa et in Numidia passi sunt, hujusce procellæ impetum indicant. Martyribus qui Cypriani tempore clarius obierunt, adjungenda est copia illa quam *massam candidam* vocant, quippe quæ calce viva absumpta fuerit.

Appositam memorant aram fovea stetisse summa,
Lege sub hac salis aut micam, jecur aut suis litarent
Christicolæ, aut mediæ sponte irruerent in ima fossæ;
Prosiluere alacres cursu rapido simul trecenti.
Gurgite pulvereo mersos liquor aridus voravit,
Præcipitemque globum fundo tenus implicavit imo.
Corpora candor habet, candor vehit ad superna mentes;
Candida massa dehinc dici meruit per omne sæclum [1].

Ipse Carthaginiensis episcopus, sub Valeriani principatu, ut illius usurpem verba, postquam innumeram martyrum præmisit turbam, aliorum incredibilem copiam ad cœlum tandem præcessit. Etenim, ejus post mortem, tempestas sævius adhuc apud Afros bacchata est, virorum stragem secum involvens. At capto tandem a Persis Valeriano cujus pessimam fortunam enarrat Lactantius [2], Gallienus qui in paternum principatum successit, pacem instauravit. Quæ vero tranquillitas, Christianis rebus admodum commoda, nullo a principe, si tamen Aurelianum excipias, perturbata fuit usque ad Diocletiani durissima tempora, in quibus, ut habet Sulpicius

1. Περὶ Στεφάνων, *Hym.* 13.
2. *De Mort. persec.*, c. v.

Severus, plebs Dei vastata est [1]; sed, cum tantum Africanæ Ecclesiæ ineuntis partes susceperimus, cum factis quæ Cypriani historiam illustrant potissimam navaverimus operam, Valeriani captivitate huic nostro labori finem imponemus.

Jam vero ea tempestate de qua loquimur, in Africa tum inter Numidas, tum inter Romanos multos fuisse Christianos ipsa martyrum frequentia plane comprobat. Simul vero atque Africa cruore Christiano inundata est, quæ fuerit Ecclesiæ ubertas incredibile memoratu videtur. Namque his verbis *Romani imperii antistites* affari Tertullianus poterat : « Sunt tanti quanti et denotamur; obsessam vociferantur civitatem; in agris, in castellis, in insulis Christianos; omnem sexum, ætatem, conditionem, etiam dignitatem transgredi ad hoc nomen quasi detrimento mœrent [2]. » Quo tetrior persecutio, eo avidior in appetendo Evangelio populus videbatur; quo violentior tempestas, eo fecundior campus atque uberior seges. Unde, postquam Vigellius Saturninus qui prior Carthagine in Christianos sæviit et præses Hilarianus qui tam crudelem sese præbuit ut *sepulturarum areas* everterit, locum Scapulæ dederunt, ad hunc scribebat Tertullianus sperans fore ut eum ab effundendo sanguine deterreret : « Quid facies de tantis millibus hominum, tot viris ac fœminis, omnis sexus, omnis ætatis, omnis dignitatis, offerentibus se tibi? Quan-

1. Conf. Ruinart, 1731, in-fol., p. 53 et 54.
2. *Apolog.*, 1.

tis ignibus, quantis gladiis opus erit! Quid ipsa Carthago passura est, decimanda a te, cum propinquos, cum contubernales suos illic unusquisque agnoverit, cum viderit illic fortasse et tui ordinis viros et matronas, et principales quasque personas, et amicorum tuorum vel propinquos vel amicos? Parce ergo tibi, si non nobis; parce Carthagini, si non tibi; parce provinciæ [1]. »

Quo vero minus carcerem, supplicia, mortem timebant, eo plus erant timendi, nam ut jure ait Publius Syrus,

Heu! quam est timendus qui mori tutum putat!

Et sane qui libentissimo trucidabantur animo [2], quos timorum maximus haud urgebat, in eos grassari poterat nullius rei metus. Inde mens interrita, inde maxima vis, inde optimi triumphi, inde, ut Senecæ more loquar, qui Horatium est ipse imitatus, *Judæi*, Christiani scilicet, *victi victoribus leges dedere* [3].

1. *Ad Scapulam*, V.
2. *Apol.* XXXVII.
3. Seneca in fragmento quod nobis Augustinus servavit (*Civit. Dei* VI, 11). At totum juvat commemorare locum, utpote qui eos qui cum Paulo Senecam litteris communicasse arbitrantur, confutare videatur; ergo, de illis sane Judæis seu Christianis cum loqueretur, hæc habet: « Cum interim usque eo *sceleratissimæ gentis* consuetudo convaluit, ut per omnes terras recepta sit, victi victoribus leges dederunt. » Qui profecto Judæorum nomine Christianos designabat eo et more loquitur Rutilius qui Honorii temporibus floruit (*Itiner.*, v. 395):

Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset
Pompeii bellis imperioque Titi!

Quare non tantum ad nostros advolabant permulti ex plebeiis hominibus [1] qui ad majorem animi dignitatem et ad liberaliores sensus erigebantur, sed molles illi atque emunctæ naris cives, vitæ dulcissimæ consueti, rhetores nimirum, philosophi, otiosi, opulentissimi viri qui tædio et ἀθυμίᾳ solebant confici, doctrinam acrem audituri certatim concurrebant. Quos profecto delicatissimos ac fastidii plenos disciplinis durissimis instituebant in hortis secretis aut inter areas, Christianorum scilicet cœmeteria, austeri asperique præceptores. Omnes cibis eisdem una et acerbis et jucundis pascebant Carthaginienses episcopi priores quorum nomina nobis nota ante Cyprianum tantum fuerunt :

AGRIPPINUS. Quem bonæ memoriæ virum bis appellat Cyprianus quemque sæpe memorat Augustinus.

OPTATUS. Cujus nomen suppeditant Perpetuæ et Felicitatis acta, quas idibus Martii anno CCII aut sequenti passas fuisse Ruinartius existimat.

CYRUS. Possidius inter Augustini opera *de depositione Cyri episcopi Carthaginiensis* sermonem indicat quem hodie non habemus.

DONATUS. Cypriani decessor.

Hoc vero in sæculo tertio totum Africæ littus et insulas ecclesiis christianis abundasse comprobatum. Episcoporum igitur numerum recensentes quorum

Latius excisæ gentis contagia serpunt
Victoresque suos natio victa premit.

Et Dion Domitianum imperatorem in Clementem ac Domitillam, familiares suos, sævisse declarat, εἰς τὰ τῶν Ἰουδαίων ἤθη ἐξοκέλλοντας.

1. *Nymphanionis martyris* punicum nomen philosophi ridebant. (Aug., *Ep.* XXVI.)

nomina publicis monumentis continentur, quanta auctoritate valeret apud Afros res Christiana, jure possumus æstimare. Mihi ergo Carthaginiensium conciliorum acta evolventi, præsulum qui ad synodum anno CCLVI habitam sese coegerunt octoginta et septem nomina occurrunt. Quorum scilicet sedes et memorare et conferre juvat cum episcoporum locis qui regis Hunerici sexto anno Carthaginem petierunt, utpote qui de fide sua testimonium præberent. Atqui memorantur in *notitia* quadam quæ operibus Victoris Vitensis qui sæculo sexto *Vandalicam* enarravit *persecutionem* inclusa legitur [1]. Nos vero accurate quærentes effugerunt pauca locorum nomina, conciliorum in actis laudata. At in Africa vicos, fundos, villas etiam episcopis usos fuisse perspicuum est. Ecclesiarum igitur Christianarum, quæ apud Afros Cypriani ætate florebant, et notitiam et geographicam tabulam pro parte mea confeci. Si quædam nomina videantur obscura, si quædam etiam in itinerariis ac tabulis neglecta fuerint, inclytæ Zamæ, Uticæ, permultorumque insignium locorum, viris qui Romanam antiquitatem sapiunt jucundissima fore putamus; quos vero recentius facta Gallicanaque gloria potissimum oblectant, illis certe locorum de laude nostra bene meritorum mentionem minime ingratam fore arbitramur.

1. *Historia persecutionis Vandalicæ*, Ruinartii studio ac cura, Parisiis, MDCXCIV edita, p. 123. Jam *Notitia* fuerat a Sirmondo juris publici facta; et ab Ellies Dupin, *Vit. S. Optati Milevitani*.

Jam vero de Africæ sacræ geographia imprimis optime meriti sunt doctissimus Ruinartius in *Notitia Ecclesiæ Africanæ* et Bochartius in *Geographia sacra* qui Morcello faciliorem viam præbuere. Pro Ruinartio nostro gloriam vindicare æquum est, quippe cum Morcellus, vir sane et eruditissimus et apprime probus, non sat amplum illi jus, nostro judicio, tribuere soleat, quamvis sæpe sæpiusque ejus laboribus utatur, quamvis ejus et consequatur plerumque vestigia. Imo, Dupuch, qui Africæ Christianis antiquitatibus utiliter studuit, cum Morcello multas quidem et amplissimas laudes tribuit, Ruinartii mirum opus prætermittit. Attamen ille et auctorum frequentia et dictorum nitore et de scriptis ac de factis judicandi arte quandoque Morcellum præterivit. Atque inter minus recentes non oblivisci licet auctorem alicujus ponderis *Shaw*, qui tum propriis indagationibus tum industria qua omnium antiquorum capita quæ ad Africam spectant coegit, cæteris viam explanavit. Herodoti enim ex historia, e Scylace, Strabone, Ptolemæo, Pomponio Mela, Plinio secundo, Solino, Antonini Itinerario, Ethico, Honorio oratore, Sexto Rufo, Paulo Orosio, Martiano Capella, Isidoro Hispal., e Collatione Carthag., e Notitia Dignitatum, e Raven. Anonymo, denique e Tabulis Peutingerianis excerpta tradidit. Cum vero in manu sint Tacitus ac Sallustius, *Shaw* opere nihil commodius atque aptius inveniri potest, si quis Africanis rebus studeat. Aperta nunc Africa cujus etiam diruta ma-

jestas milites nostros victores commovebat, novum fabris dedit campum in quo fervet opus. Nobis vero inter novissimos potissimum utilis fuit, civitatum sedes conquirentibus, codex Inscriptionum a viro docto *Leone Renier* collectarum. Sed imprimis *Guerini*, qui Africam ut antiquitati studeret curiose peragravit et gratia et auctoritate nobis niti licet. Etenim Inscriptiones hactenus ineditas multaque monumenta quæ vidit vir veterum rerum peritissimus nobis significavit, eisque nos uti munificus voluit.

CYPRIANI ÆTATE

AFRICANARUM ECCLESIARUM

NOTARUM RECENSIO.

E PROCONSULARI, SIVE ZEUGITANA, A QUA NEQUE BYZACENA NEQUE TRIPOLITANA AVULSÆ ERANT, EPISCOPI :

A CARTHAGINE.

קרתא, *Cartha*, civitas, אדה, *ada*, congregata, vel חדתא, *hadtha* nova. — Cfr. Solin, 28. — Bochart, *Geogr, sacr.*, ann. 1681, p. 512.

Apud Capucinos patres, Tuneti, quod e Carthaginis ruinis crevit, quod Polybius, lib. XIV, ex omni fere parte Urbis conspici posse dicit, in marmore incisa illa verba leguntur :

ROMANVS EPISCOPVS
EXITIOSVS EPCPS
IN PACE V D V XI KAL
IN PACE DP
S III KAL dcs
RVSTICVS EPISCOPVS IN PACE V D V K

Bourgade, *Annal. de phil. chrét.*, *juillet* 1850; *Berbrugger* et *Guérin*.

Exitziozum, Verensem, episcopum unum novimus; in *Notitia* proconsular., anno 484, sex *Romani*, tres *Rustici* nominantur, inter quos nullus Carthag.

CONSTANTINVS
SVBDIACONVS

Bourgade, ibidem, *Guérin*.

AB ADRUMETO.

Hodie *Sousa*.

Eo in loco Christianum Byzantino vestibulo exornatum monasterium laudant viatores.

Quæ olim civitas notissima, et Cothone [1] et navalibus, et moneta fruebatur, quæque martyribus suis amplissima fuit. Hujusce urbis erat navis quæ Paulum e Syria Lystram devexit.

Cfr. *Gramagi Africam illustrat.*, Tornaci Neviorum, MDCXXIII, t. II, pag. 91.

AB ABBIR GERMANICIANA.

Arundinem piscatoriam *Abbaritanam* commemorat Plinius in *Hist. nat.*, lib. XII, cap. 36; *Abbaritanum* præsulem laudat Victor Vitensis, denique Abbaritanum quemdam antistitem inter proconsularis provinciæ patres *Notitia* recenset. Sed duplex fuit *Abbir*, minus ac majus quod et Germanorum. *Peuting. tab.*

1. קטם, *Catam*, incidere, effodere.

AB AMMEDERA.

Haïdra ad rivum *Oued-Haïdra*.

Avg.... Med.... in inscript. apud *Pellissier*, p. 296. *Renier*, a n. 3191 ad n. 3231. *Pellissier*, litteræ ad *Hase*, *Revue archéologique*, tom. V, p. 393. Ἀμμαίδαρα, Ptolem. Peuting. Orosius, lib. VI, cap. 36, Αὐμετέρα, Procop. de *Ædif.*, lib. V, cap. 6. — *Admadfrensis* episcopus anno CCCC XI Carthaginiensi concilio adfuit.

AB ASSURAS.

Henchir Zanfour.

Assurarum nomen ibi saxo insculptum vidit Guerin. Ἀσσούρος, Ptolem. — *Assuras*, Plin. Ant., *Assures*. Peuting. *Oppidum Azuritanum* Plin. lib. V. c. 4. *Assuritanus* episcopus nominatur in *Historia Vandal. persec.*, apud Ruinart., p. 229.

AB AVITINIS.

Hodie *Henchir Ftis* ?

Avittensis bibbæ nomen in lapide incisum Guerin prior exscripsit.

At in proconsulari plures *Abbitinenses* episcopi laudantur. Augustinus contra Parm. lib. III, cap. VI, *Abbitinenses* commemorat. Denique *Abbitinensium* martyrum ad annum CCCIV Ruinartius acta protulit.

A BAGAI.

Bagai.

Aurasio subjacet, e quo fluens *Abigas* urbem subluit.

Bagaï, Augustin. in psalm. XXI. Videsis Marcum et Duesberg, *Géographie ancienne des États barbaresques, d'après Mannert*, p. 693.

Edrisi modo *Baghaï*, modo *Baghaïah* scribit.

A BILTA.

Apud Harduin, conc., t. II, p. 1082.

A BULLA.

H. Boul?

Ptolem.—*Bulla regia*, Anton. Itin. *Bullensium regiorum* episcopus nominatur in concilio Carthaginiensi sub Genethlio, *Labbæanæ editionis* t. II col. 1161 et 1830. *Bullæ campum*, *Bell. Vand.*, 1, 25, memorat Procopius : Ἐν πεδίῳ Βούλης ἐγεγόνει, ὅπερ εὐζώνῳ ἀνδρὶ τεσσάρων ἡμερῶν ὁδῷ Καρχηδόνος ἀπέχει, οὐ πολλῷ ἀπὸ δὲ τῶν Νουμιδίας ὀρεων. Cfr. Ruinartium, *Notæ in notitiam Africæ procons.*, p. 246.

A CAPSE.

Gafsa, inter *Oasis*.

Multæ adhuc romanæ occurrunt ruinæ ; *Capsæ Justinianæ* incisum nomen vidit Guerin.

קפץ, caps, constringere.

Porro erat, inquit Sallustius, inter ingentes solitudines oppidum magnum atque valens nomine *Capsa*. De quo et Florus, lib. III, cap. I, et Plinius, lib. V, cap. IV, et Strabo, XVII, et Peuting. tabul. et Cyprianus, *epist.* 56, et Victor Vitensis, p. 103, Edrisi, p. II, p. 86, *Cafsæ* mœnia et fluvium laudat. Capsensem episcopum provinciæ proconsulari assignat *Notitia*.

Cfr. Morcellum, t. I, p. 118; Ruinartium, p. 324, Mannertum, lib. II, c. XIII; Bochart, lib. I, cap. 24; Shaw, t. I, p. 270.

A CARPIS.

Courbes.

Ruinæ invisuntur multæ. Guerin.

Carpis, Plin., lib. V, c. 4, Κάρπις, Ptol. *Carpos* memorat Optat. Milevitanus, adversus Parm. II.— Inter proconsulares episcopos in *Notit.* et in concil. Lateranensi sub S. Martino habito, *Carpitanus* indicatur.

A DIONYSIANA.

Monastir?

Inter Byzacenæ episcopos *Dionysianus* deerat, ut patet ex notitia episcoporum qui Carthagine, Hunerico imperitante, fuerunt.

A FURNIS.

Henchir Fournu.

Permultæ romanæ ruinæ hodie videntur, splendoris pristini vestigia. *Guerin.*

E sacris auctoribus oppidum illud in proconsulari

provincia fuisse compertum est. Multi Furnitani noscuntur episcopi. Vid. Morcellum, t. I, p. 162, et Ruinart, p. 146. Portam Fornitanam commemorat Victor Vitensis, apud Ruinart, p. 6. Erat forsan illa Carthaginis e portis quæ ad Furnos ducebat; nihil de his apud geographos reperire potuimus.

A GERMANICIANA.

Post *Aquas regias*, in itinere a Theveste Tusurum, in Mediterraneis, Antoninus Germanicianam fuisse declarat.

A GOR.

Γάρρα, Ptolem. lib. IV; *Gurra*, Peut. Cfr. Harduinum, Concil. t. I; forsan ab illo oppido erat *Garrianensis aut Garrensis* episcopus inter Byzacenæ antistites nominatus.

A GURGITIBUS.

Gurgaitensis episcopus recensetur inter Byzacenos antistites qui anno CCCCLXXXIV urbem petiere. An a Gurgitibus? *Gurzensem pagum* memorant antiquæ tabulæ. Cf. Ruinart, p. 329, et Bochart, p. 25.

AB HIPPONE REGIO.

Bone, ab antiqua civitate II M. P. distans.

Ex priscis Numidarum oppidis illud videtur fuisse, quod postea nobilitavit Augustinus, quod permultæ Ecclesiæ exornaverunt inter quas potissimæ erant

Ecclesia pacis, *Basilica ad octo martyres*, *Ecclesia ad Stephanum*, et templum *ad viginti martyres*. Vandali vero Hipponensem civitatem quatuordecim mensium spatio obsessam incolisque destitutam concremarunt. *Victor Vitensis Historia persec. Vandal.* p. 6, et Ruinart, p. 428.

Inter hujusce civitatis ruinas reperta fuit inscriptio quæ hodie in Bibliotheca Cæsarea servatur :

APRILIA FIDELIS VIXIT
ANNOS LXXV RECESSIT
IN PACE SVB DIE III KAL
SEPTEMB
ANNO XXIIII
KARTAGINIS

Hase, *Journal des savants*, 1837.

In colle quem alluit rivus *Seybouse*, quemque oleti opacant, paulum a planitie edito, ædificabatur antiqua civitas, cujus e splendore tantummodo reliqua est alte effossa cisterna. Augustino signum Galli victores in hoc oliveto statuerunt.

Cfr. Shaw, t. I, p. 120-121.

Vide et Leonem Renier, a. n. 2871 ad 2896.

AB HIPPONE DIARRYTHORUM.

Bizerte.

GENIO COL IVLIÆ
HIPP DIARR SACR
COLONI COL IVLIÆ
CARPIT . . .

(*Guérin, ineditum.*)

Quod oppidum Ἵππον διάῤῥυτον Ptolemæus appellat; ita vocatam illam civitatem Plinius, lib. V, cap. IV, propter aquarum irrigationem declarat. Hippo uterque a græcis equitibus conditus est, Solin. *Polyhist.*, cap. XXVII. *Ipponte Diarryto*, Peut. Tabul. *Hippone Zareston* Anon. Ravenn. Cfr. Bochart, t. I, p. 474, Shaw, p. 180, t. I. עבא, sinus.

In ædibus, in viis, in mœnibus, in mole, multa Romanorum visuntur vestigia. Locum illum colunt quinque millia Musulmanorum, inter quos sunt numerosi Mauri ex Hispania pulsi. Urbem etiam nunc alluunt duo cæmentitii rivi.

AB HORREIS COELIÆ.

Hergla.

Diruti oppidi inter hortos occurrunt pauca indicia. *Horrea Cœlia*, Ant. *Orrea Cæliæ*, Not. Ὀῤῥεοκελίων, Ὀῤῥεοκίλης, *Horreocellenses*, Inscript., *ad Horrea*, Peutinger.

A LARIBUS.

Lorbes.

Λάρης, Ptolom. — Antonin., Peuting., Sallust.

Permultas ruinas romanas et christianas ibi inviserunt Temple, *Excursions*, t. II, p. 273, et Guerin. — *Larensem* civitatem memorat Victor Vitensis, p. 29. — Ἐν Λαρίβῳ, Procop. Bell. Vand. 11, 23, Shaw, t. I, p. 224.

A LEPTIMINUS.

H. Leptah.

Inter *Monastir* et *Ras Dimas;* nulla inscriptio,

sed theatri, amphitheatri, templorum dirutorum vestigia amplissima; hujus vero locus hodie desertus est.

Leptim, *Hipponem*, *Adrumetum* a Phœnicibus condita fuisse Sallustius declarat.

Λέπτις μικρά, *Leptis parva*, *Leptis minor*, *Leptis minus;* oppidum illud liberum indicant Plinius, lib. V, cap. IV, et Hirtius, Bell. Afric. cap. CXVII. Justiniano vero imperante, *dux Byzacenæ provinciæ et in Capsa et in altera Lepte sedebat.* Codex 1, 27, lex 2. — *Leptiminens.* Episcopum commemorat *Notitia.* *Leptis* a vocabulo chaldaico quod stationem signat, deduci videtur. V. Bochart, lib. I, cap. 24.

A MACTARI.

Henchir Macter.

Ibi permultas ruinas invisit Guerin. *Mactaritanus* Byzacenæ inter patres in *Notitia* recensetur. *Mattarense* oppidum liberum dicit Plinius.

A MARRAZENA.

Maraziensis, in *Notitia*. *Marazanæ*, apud Antonin.

A MEMBRESA.

Membrositanus, in *Notit.*, *Membrissam*, Procopius 2, 15, B. V, qui civitatem illam a Carthagine trecentis et quinquaginta stadiis distitisse dicit. Peuting. et Anton. Itin.

A MISGIRPA.

Migirpensis in *Notitia* inter proconsularis provinciæ

patres nominatur; loci vero illius apud geographos nulla mentio reperitur.

MUZULENSIS.

Henchir El Bagar.

MVZVLAMII nomen insculptum legit Guerin. Musulanos vero Tacitus novit. *Ann.* lib. II, cap. 52; et lib. IV, cap. 24. *Musulamios* propre *Lamasbam* Peutingerianæ tabulæ significant.

A NEAPOLI.

Nebel.

Ubi prior Guerin CIVITATIS NEAPOLEOS in lapide incisum nomen vidit, ubi et civitatem dirutam comperit. Anton. Itiner., Peuting., Scylax, Strabo, lib. XVII, num. 1191, Plinius qui liberum oppidum illud dixit, Ptolemæus qui coloniam nominat, Pomponius Mela, Hirtius, Concilium Carthaginense, anno CCCCC XIX habitum, hujusce amplissimæ urbis meminerunt.

AB OCTAVO.

Octabensem antistitem inter Byzacenses patres exhibet *Notitia* quam Elias Dupin et Ruinartius in lucem protulerunt. Nihil vero aliunde accepimus.

A RUCUMA.

Cap Matifoux.

RVSGVNIENSES nominat inscriptio antiqua apud *Renaudot.* — *Tableau du royaume d'Alger*, 1830, p. 12, et apud *Renier*, n. 4063.

Præter Cypriani concilium *Rucuma* vel *Rucumma*

in veteri Lateranensi synodo habetur, e qua in proconsulari oppidum illud fuisse compertum est.

Rusgunias inter Icosium et Rusubbicari. Anton. Itiner., *Rusconia*, Plin., Ptolemæus.

Duarum colon. Ausiensis et Ruscuniensis, in *Inscription. antiq.* apud Dupuch, *Essai*, p. 237. Cfr. Renier, n. 4063-4066.

A SEGERMIS.

Licet Ecclesiæ in monumentis subinde appareat oppidum illud, a geographis antiquis omnino prætermissum fuit; at ex *Notitia*, p. 132, *Segermitanum* Restitutum inter Byzacenæ patres habitum esse pro certo obtinemus.

A SICCA.

El Keff, id est saxum.

Inclyta de civitate ea, cui nomen *Siccam* Siculi, et Veneris Erycinæ religio cognomen *Veneriam* aut *Veneream* imposuisse multis videntur, commemorant tum antiqui auctores ut Sallustius, Plinius ac Ptolemæus, tum veteres Inscriptiones ut videre est in Shaw relatione, t. I, p. 229 et in Maffæi *Musæo*, p. 429, tum denique sacra monumenta, concilia Carthaginiensia atque Africæ canonum codex et Augustini litteræ; Siccam vero apud nostros clarissimam fecit senior Arnobius, utpote qui Rhetoricam Siccenses splendide docuerit. *Cirtha Sicca*, inscr. Basilicæ ruinæ.

Rectius *Siccæ Veneriæ* nomen e Succot Benot, seu Venere Assyr. deducitur. 2 *Reg.* 17.

A SICILLIBA.

Henchir Sloughuia?

...HIBBIENSIS, inscript. inedit. exscripsit Guerin, qui eo in loco permulta vestigia vidit.

A majori Tuburbo M. XVIII distans oppidum insigne. — Peuting., Antonin.

A SUFETULA.

Sbaïtla.

Ædium romanarum et ecclesiæ christianæ multa indicia. Juxta oppidum illud basilica christiana diruta videtur, cujus in unius columnæ capitello inscribitur *In Deo.* Guérin.

Suffetulensis episcopus a Victore Vitensi laudatur Præsidius qui et in *Notitia* Byzacenæ patribus adscribitur. *Suffetulanorum* meminit inscriptio apud Maffæum p. 465, et *Sufetolam* indicat Antonini Itinerarium. *Suffetulensium,* apud Shaw, t. 1, p. 259.

A SUFIBUS.

H. Sbiba.

COLONIÆ SVFETANÆ meminit inscriptio hactenus inedita quam exscripsit Guerin.

Itiner. Ant. p. 46 et sq. *Sufetanis* ex episcopis tres noscuntur. Quod vero oppidum inter Sufetulam prædictam ac Tuccam Terebinthianam ædificabatur.

Grenville Temple.

A TELEPTE.

H. Medinel el Kedima ad *Ferianah.*

Civitas atque insignis colonia erat cujus ruinas invisit Guerin.

Anton. et Peuting.

Shaw, t. I., p. 269. Marcus, p. 407. *Talaptulensis* inter Byzacenæ provinciæ patres episcopus in *Notitia* habetur. Ruinart., p. 338, Est quoque *Teleptensis* antistes p. 331. — Ταλέπτην vero et *Talaptam* concilia commemorant.

Fulgentii patria.

A THABRACA.

Tabarcah.

Quales umbriferos ubi pandit Tabraca saltus.
Juven., sat. 10, v. 194.

Colonia quidem erat apud antiquos notissima. Genserici ætate duo monasteria *Tabracena* fuisse Victor Vitensis tradit. *H. Per. Vand.* lib. I. cap. x. Quæ olim et hodie suberum sylvis inclyta. Thabraca, תורקא hebraice, frondibus cooperiri significat. V. Bochart, lib. I., c. 24.

A THAMBEIS.

Inter Byzacenos *Tambeitanum* episcopum habent plurima concilia. Apud *Tambaïensem* civitatem inclyta martyrum certamina *persecutionis Vandalicæ* enarrat historia, apud Ruin., p. 75; sed nihil aliud accepimus.

A THASVALTE.

Tabaltam, Anton. *Tasfaltensem* episcopum, collat.

Carth., *Tabaltensem* notitia, *Thebaltensem,* concil. Carth CCC XCIII anno. — Videsis Harduin. Concil., t. I, p. 974 et Morcellum, t. II, p. 291.

A THENIS.

H. Thineh.

Civitatis Romanæ vestigia.

Thenitarum meminit Gruteri inscriptio, p. 363, n. 3.

Thenæ à Plin. lib. IV, cap. V. Byzacenis urbibus adscribitur; Θεαίναι apud Ptolomæum; *Tevitanus* aut *Tenitanus* episcopus in *Notitia; Thenæ*, Anton. et Anonym. Ravenn. lib. III, cap. V.

A THUCABORI.

H. Toucaber?

Βοχάμβαροι, alibi Ζουχάββαρι, Ptolem. lib. IV, cap. 2.

Thuccaboritanus inter proconsularis patres in conc. Lat. act. 2, sub Martino habetur. Inde *Thuccaborim* esse Tuccam illam Terebinthianam quam in proconsularis extremis sitam Antonini Itinerarium declarat, jure doctissimus editor Oxoniensis existimavit. At vero Morcellus arbitratur municipium quod *Thugga...* in lapide *Sponiano*, p. 184, nominatur hanc Thuccaborim esse. Monte in excelso millia passuum novem a Tuneto Occidentem versus municipium illud erat, amplum vero et publicis operibus exornatum.

A TIMIDA REGIA.

H. Tindjah.

Sanctorum *Timidensium* II Kal. Jun. meminit Kalendarium Carthaginense apud Ruinart. *Acta Martyr.* 1731, p. 541. Et *Timidensem* episcopum in proconsularis provinciæ patribus habet *Notitia*.

A TUBURBO.

Turburbum majus, *Henchir El Casba*, ubi ruinas, templum parvum et inscriptiones vidit Guerin.

Turburbum minus, *Tebourba*.

Fuit igitur hujusce nominis duplex oppidum, majus nimirum ac minus, quod comprobant Peutingeri Tabulæ. *Tuburbitanos* martyres laudat antiquissimum Carthaginiense kalendarium de quo eruditissime scripserunt Mabillonius et Ruinartius. Utraque vero colonia uno episcopo uti solebat. *Hist. pers. Vand.* p. 247 et 248.

AB ULULIS.

Inchilla?

Dirutæ ecclesiæ christianæ inter multas ruinas occurrunt indicia.

Usulam inter Tusdrum ac Thenas Antoninus collocat; municipium *Usillas* Ruspis proximum docent Peutingerianæ tabulæ; quod Cypriani concilii *Ululas* editor Oxoniensis arbitratur. Attamen Ululam ab Usulis distinguit Morcellus, nulla vero ratione fretus.

Marcus, p. 649. Renier, 2455-2463.

AB UTHINA.

Henchir Oudna.

Ibi visuntur romanæ civitatis et basilicæ chris-

tianæ clarissima indicia. Oppidum illud noverunt Plinius et Ptolemæus ; hujusce plurimorum episcoporum nomina pervenerunt, et jam Uthinensem antistitem Tertullianus commemorat. Cf. Ruinartium, p. 235.

AB UTICA.

Amphitheatri, theatri, multarum ædium indicia.

Ad Bagradam, non longe a Carthagine sita fuit, quam apud antiquos Catonis fatum, apud Christianos martyres illi egregii qui *massa candida* sunt appellati illustrarunt. Erat sane urbs amplissima cujus nomen in monumentis sæpe versatur. Ἡ Ἰτύκη. Colonia Phœnicum antiquissima quæ Carthagini sæpius inimica Romanorum partibus occulte studuit quæque a victoribus bene habita fuit. Videre decet imprimis Polyb. lib. III, cap. 24 et lib. XXXVI, cap. 1, Appian. *Punic*, c. 135, et Cæsar, *Bell. civil.* lib. II, cap. 36. In nummis municipium dicitur.

A VICTORIANA.

Victorianensis inter episcopos provinciæ Byzacenæ Rufinianus in *Notitia* recensetur. Quem ex Africa profugum et in proxima Sicilia insula vitam asceticam viventem invisit Fulgentius, monachorum Ægyptiorum veteres latebras excogitans, hunc Rufinianum Ruinartius arbitratus est (H. V. P., p. 333). Altera fuit *Victoria* civitas a Ptolemæo lib. IV, cap. 2 inter Mauretaniæ Cæsariensis urbes habita; præterea

quædam *Victoriana villa* ab Augustino Hippone regio proxima dicitur. Libro XXII de Civit. Dei; cap. VIII. Shaw t. 1, p. 69.

A ZAMA.

Zama inter Adrumetum et Carthaginem erat, Liv. XXX, 23, 29, inclyta Scipionis victoria et apud veteres sæpissime nominata. Altera cui cognomen *regia* in Numidia habebatur.

(HUNERICO VERO IMPERANTE, IN PROCONSULARI ET IN BYZACENE CLXVI ECCLESIÆ CHRISTIANÆ PRÆBENTUR; CLXIV ANNO CCCCLIV A VICTORE VITENSI TRADUNTUR EPISCOPI).

AB OEA.

Nouveau Tripoli.

Quæ sane notissima atque amplissima civitas apud antiquos sæpe sæpiusque habetur. Ἑώα, Ptol. lib. IV, cap. 3; *Oea*, Ant. Itiner.; *Oensis urbs*, A. Marc; Plin.; *Osa*, Peuting., etc. — Etiamnum insignis arcus triumphalis Oeæ funditus eversæ designare locum videtur.

LEPTIMAGNENSIS.

Lebedah.

Id oppidum ab Sidoniis conditum, quos accepimus profugos ob discordias civiles, navibus in eos locos venisse. Sallust. *Jug.* 78. Civitas illa fuit antiquis pernota. Quæ de provincia prisci loquuntur, male interpretatus *Leptimagnam* e tribus urbibus conflatam fuisse Oxoniensis editor arbitratus est (*Not. ad con.*

Rebapt.). Cæterum, inter duas Syrtes erat sita quibus nomen ex re inditum; Σύρτιδες enim e σύρειν, in quas nimirum limum, arenamque et saxa ingentia, ubi mare magnum esse cœpit, fluctus trahere solent. V. *Jugurth. bellum,* cap. LXXXVIII.

SABRATENSIS.

Souara.

Sabar, Edrisi; *Sabratam* vero commemorant fere omnes antiqui, Ptolemæus, Antoninus, Peutingerian., Plinius, Procopius, peripli, Procopius, Victor Vitensis cæterique multi. Conciliis et plurimis adfuerunt hujusce oppidi episcopi; denique a Justiniano mœnibus cincta est.

A GIRBA.

Hodie *Dgerbah.*

Ad Syrtim minorem insula quæ olim *Meninx* dicebatur. Γέρρα, Ptolem.; *Girbam*, Antonini Itiner.; *Girbam*, Peuting.; *Girbitanum* episcopum *Notitia*, p. 139 commemorat. — Cf. Shaw, t. 1, p. 254 et sq.

Menicks, chaldaïce, quasi aquas deficientes vel recedentes dixeris. *Bochart.* lib. 1, cap. 25.

Hodie insulam Musulmani vel piscatores, vel bombycinæ telæ textores, vel agricolæ incolunt. Oleis, phœnicibus, pomiferis arboribus inclyta, Romanæ civitatis amplissimæ hodie eversæ notas ostendit. Visuntur enim inter agros marmorea capitula, fracta signa, dejecta mœnia.

(HUNERICI ÆTATE, QUINQUE ECCLESIIS CHRISTIANIS TRIPOLITANA PROVINCIA UTEBATUR.)

E NUMIDIA.

A CIRTA.

Constantine.

Cartha, punice, civitas est seu electio.

Renier, inscription. n. 1807 ad n. 2156, et n. 4156 ad n. 4238. Nota n. 2145 et 2146 Christian. inscript. esse.

Quavis ætate splendet civitas illa, quæ nimirum Massinissæ ac Jugurthæ fuit urbs regia, quæ et Sittianorum colonia sub imperatorum principatu vigebat, munitissima sane et egregia, quæ martyres clarissimos obtinuit, Agupium, Æmilianum, Secundinum, Antoniam, Tertullam, cæterosque, quæ concilium habuit cujus acta Augustinus ab oblivione vindicavit, quæ tandem a restitutore *Constantina* vocata, novissimam ac summam Gallorum virtute gloriam consecuta est.

Cirtæ duas Constantinus exstruxit basilicas quarum partes quasdam reliquas conspexisse D. Dupuch arbitratur (*Essai sur l'Algérie*, Turin, 1847). — Prior ille Juliæ Cæsareæ episcopus qui de Africa christiana rediviva optime meritus est quique vestigia sacra sedulo consecutus est, multas commemorat ruinas quæ hodie desiderantur.

Jam permulta monumenta Cirtæ viderat Shaw

(La Haye, 1743, t. 1, p. 156). Vide et *Africam illustrat.*, p. 42.

Hase et Carette, *Mémoires présentés par divers savants à l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, 2e série, t. 1, p. 215.

† IIII NON SEPT PASSIONE MARTVR
ORVM HORTENSIVM MARIANI ET
IACOBI DATI IAPIN RVSTICI CRISPI
TATI MELTVNI BICTORIS SILBANI EGIP
TII SCI DEI MEMORAMINI IN CONSPECTV DNI
CVORVM NOMINA SCIT IS QVI FECIT INDIC XV

A BADIS.

Duas *Vadenses* in Numidia ecclesias, imperitante Hunerico, nobis exhibet *Notitia*. Οὔατα vero Strabo dicit. Attamen, litteræ licet B et V et οὐ sape sæpiusque promiscue ab Afris habeantur, *Vadam* a *Badis* discernunt et Harduinus et Morcellus (Prior in *Conc.* t. 1, p. 166; posterior in *Africa christiana*, t. 1, p. 91). Doctius autem de *Badis* Ruinartius disseruit. *Notæ ad Notitiam Numidiæ*, n° 7.

A BAMACURA.

Vel *Amacura*. Cum vero *Damatcorensis* Numidiæ patribus adscribatur, cum *Bamaccorensis* collationi Carthaginiensi adfuerit, *Amacuram* pro Bamaccora legendum esse, et Plinii *Vamacurem* esse Baluzius existimavit, quocum Morcellus sensit. Aliam

vero tenet opinionem Harduinus. *Conc.* t. I, p. 167.

A CASTRO GALBÆ.

Gilbenses nominant duos in *Numidia* episcopos; *Gilvæ* Anton. It. Cum Galba et Gilba idem signent. editor Oxoniensis a *Castro Galbæ* unum episcopum fuisse arbitratur. Galbam vero magna cum severitate et cura dicit Africam ordinase Suetonius. *Gal.* VII, IV.

A CHULLABI.

Collo, si ita *Chulli* designetur.

Municipium *Chulli* Ant. Itin. commemorat. In Numidia secundam post Cirtam in dignitate civitatem *Chulli* præbet Solinus. *Polyhist.* 26. — Cfr. Plin., *H. n.* lib. V, cap. 3. *Chulla;* Peut., *Collops magnus.* Κόλλοψ μέγας, Ptol.

A CUICULI.

Djimilah.

Renier, 2523-2564.

Itin. Ant. *Cuiculum* inter Idicram et Sitifim exhibet. Plurimi *Cuiculitani* noscuntur episcopi inter quos Crescens ultimus qui concilio quinto Constantinopolit. œcum. CCCCLXXXIV adfuit, quique hoc modo subscripsit : *Crescens misericordia Dei episcopus sanctæ Ecclesiæ catholicæ Cuiculitanæ, provinciæ Numidiæ.* — Cuiculorum ruinæ multæ, inter quas basilicæ pavimentum, a Dupuch laudantur. Cfr. Renier, n. 2543, 2544, 2545, 2546, 2547.

A GAUSAUFALA.

Hodie *Seniere*.

Γαζοφύλοι Procop. de Bello, II, 15; *Gasaupala* Peut., *Gazaufula* Ant., quod oppidum bidui iter a Constantina distitisse scribit Procopius, quodque inter Tipasam et Sigus Ant. Itinerarium fuisse ostendit. *Gazaufulensis* episcopus in *Notit.* præbetur. Nihil amplius de oppido illo est.

A GEMELLIS.

H. *Sidi Aïch?*

Inter Capsam et Teleptem, quo civitatis deletæ signa invisit Guerin. Numidiæ vicum *Gemellas* et Peut. et Ant. Itin. ostendunt. Hujusce loci episcopus præter Lictæum Cypriani æquævum præbetur V sæculo e Donatistarum numero Burcaton. *Coll. Cart.* 206. Errat D. Dupuch p. 181, qui a Gemellis Lictæum in Maur. Setif. collocat, quum nullus e M. S. episcopus Cypriani ætate dicatur.

A LAMASBA.

Baïtna?

Quod oppidum *Lamasva* ab Antonino ac *Lamæsba* a Peutingerianis, et illius episcopus *Lamasuensis* in *Notitia* et *Lamasbensis* in Coll. Carth. 128 nuncupatur. Cfr. Renier; Marcus, p. 399.

A LAMBESE.

Lamba.

Apud veteres fuit *Lambæse* inter Tamugadem ac Dianam notissima. Prope recentem Bathnam sita

fuit. Lambæsæ multas ruinas atque inscriptiones mirantur Shaw, t. I, p. 146, et Dupuch qui inscriptionem præbuit.

In prioribus *Leonis Renier* fasciculis, Lambæsæ repertæ, multæ continentur romanæ inscriptiones apud quas colonia et civitas vocatur. Aquæductum legio tertia Augusti quæ sæpe nominatur erexerat. Inscr. 1-1409 et 4071-4485.

A MACOMADIBUS.

Macomadem vel *Macodiam* prope Cirtam oppidum laudat Ant. in It. Urbem præter illam erant et in Byzacena *Macomades Rusticiani* qui et minores, et in Tripolitana *Macomades majores* sive Syrtis. *Macomadiensis* Numidiæ patribus adscribitur in *Not.* — Peut., Plin., Ptol., etc.

Macomadibus minoribus, hodie *Mahres* byzantinæ artis indicia conspexit Guerin.

A MARCELLIANA.

De *Giru-Marcelli* Fructuosus inter Numidiæ provinciæ episcopos in *Notitia* habetur. Præterea, Lucidus *episcopus plebis Marcellianensis* collationi Carth. c. 133 adfuit. Locus vero geographis sacris ignotus est.

A MASCULA.

Masculitani plurimi sunt notissimi episcopi; *Mascula* vero inter Thevestem et Lambesem erat. Marcus, p. 689.

A MIDILA.

Midilam in Numidia fuisse ostendit *Notitia;* cum vero de loco illo sileant geographi, optime Morcellus t. I, p. 226 e Sponiano lapidem p. 181 revocat sic incisum : Ex DECRETO PAGANOR PAGI MERCVRIALIS VETERANORVM MEDILITANORVM.

A MILEO.

Mileu, Milah.

Renier, 2300-2318 et 4241.

Milei Peut. Ant. et concilia sæpius memoriam usurpant; quod apud Christianos clarissimum oppidum fecit S. Optatus ille *Milevitanus* qui de Donatistis scripsit. Romana vestigia illic adhuc mirantur viatores. Shaw, t. I, p. 131.

AB OCTAVO.

Octabensem inter Numidas episcopum exhibet *Not.*; sed de urbis situ nihil scire licet, quum nullam de ea mentionem fecerint geographi.

A RUSSICADE.

Philippeville.

Numidiæ colonia *Rusicade* notissima erat cujus *Stora* portus vocabatur. Ruinæ inter quas tumuli incisis palmis martyrum declarati, laudabantur permultæ quorum maxima pars paucis abhinc annis fuit eruta. *Skidida* ab Arabis hodie dicitur. In duobus collibus olim ædificata, nunc vallem occupat.

Rusicadæ permultas inscriptiones collegit doctissimus vir Leo Renier, n. 2158-2295 et 4239-4240.

A TAMUGADE.

Ager-Soudah.

Thamugada seu *Thamogada* apud antiquos celebris fuit; de qua fuse loquitur Baluzius, *Miscell.* II, quam a Mauris eversam tradit Procopius. — *Dureau de la Malle*, *Constantine*, p. 233.

Renier, 1479-1566; dirutæ basilicæ inscript. Christ. n° 1518.

A TEBESTE.

Teiffech.

Inter Ammæderam et Altabam *Teveste* vel *Thebeste* colonia fuit. Antonin. Itiner. Ab urbe ad Carthaginem viam Adrianus exstruxit.

Crispinæ Thebestinæ acta Mabillonius et Ruinartius ediderunt.

Tevestæ e ruinis permultas inscriptiones exscripsit Renier, n. 3077 ad 3188.

A Vandalis diruta, Justiniano imperitante, renata est, ut ex inscriptione manifestum est. « Nutu divino, temporibus piissimorum dominorum nostrorum Justiniani et Theodoræ Augustorum, post abscisos ex Africa Vandalos, » Teveste civitas « a fundamentis ædificata est. » *Letronne*, *Revue archéologique*, 1847, p. 370.

A THARASSA.

Tharassensis episcopus inter Numidiæ patres in *Notitia* recensetur.

A THUBUNIS.

Toubnah.

Thubunam Alypius, Bonifacius et Augustinus convenere; *Epistol.* 220, ed. Ben. *Tubuniensem* in Numidia episcopum *Notitia* præbet. Cfr. Ruinart, p. 282. *Tubnam* recentem esse existimat Shaw antiquam hanc Tubnam. — Confirmant Inscript. Renier, n. 1656 et sq.

A THUCCA.

Oppidum Thucca ad Numidiæ limites mari et flumini Ampsagæ impositum erat. Tuccam habent Peut. tabulæ ad fines Mauritaniæ. Plin. Cfr. Ruinart, p. 385. Shaw, t. I, p. 222. — Aliud hujus nominis oppidum erat in procons.; utrumque laudat conc. Cyprian.

A VAGA.

Bejah.

Vaccam vel *Vagam* posterius laudant Sallustius, Silius Italicus, Plinius, Ptolemæus, Plutarchus. Hujusce oppidi forum rerum venalium totius regni maxime celebratum Sallustius fuisse declarat, et Marii vitæ auctor magnam civitatem Vagam appellat. Cujus ruinas aspexit Shaw; videntur adhuc Vagæ in campis permultæ veteres inscriptiones. Οὐάγαι Ptol.; Βάγα Plut. in Mario. V. Shaw, t. I, p. 209.

ORDO SPLENDIDISSIMVS

COL SEPTIM VAG.

. . . . . .

(*Inedit. Guérin.*)

A ☧ Ω

FESTA FIDELI

S IN PACE VIXSIT

ANNIS CENTVM ET X

Guérin, inedit.

QUI IN DEO CONFIDIT, SEMPER VIVET.

Ined. Guérin.

Vocabulum BASILICAM mœnibus incisum vidit Guérin. Ædes nunc conversæ in Mahumetanorum fanum, tamen *Saïdni Aissa*, id est D. N. Jesu sacræ sunt.

(HUNERICO AUTEM IMPERANTE, IN NUMIDIA NOTITIA CXXIII EPISCOPORUM NOMINA SIGNIFICAT.)

E MAURITANIA CÆSARIENSI.

A BARUCH.

Baruch, hebraice, genuflexum vel benedictum significat. *Burgiatensis* episcopus in *Notitia* recensetur.

A CEDIAS.

Cediam Quidam esse arbitramur. Porro Quida vel Guiza sæpissime ab antiquis laudatur. Ptol. lib. 4, cap. 2. Plin. lib. v, cap. 2. In *Notitia Quidiensis* episcopus nominatur. Cediam tamen a Quida distinguit Morcellus. Cum vero inter Portum magnum et Arsinariam Quida sita esset, vicum *Geezah* prope recentem *Oran* civitatem plurimi oppidum illud ædificatum fuisse existimant.

Cfr. Shaw, t. 1, p. 36, et Renier, n. 3842 et sq. Vide et Dupuch, *Essai sur l'Algérie*, p. 253.

A NOVA.

Ad Novas, Anton. Itin. non procul ab oppido novo fuisse dicit. Duos vero *Nobenses* episcopos, Verecundum nimirum et Benantium habet *Notitia*. Cfr. Plin. lib. II, cap. 2. Ptol. lib. IV, cap. 2. Ὀππιδονέον, Anonym. Ravenn.

AB OBBA.

H. Ebbah.

Babba. Plin. *Bobba* in nummis dicitur. Sed *Obbitani* et *Obbenses* episcopi plurimi in sacris monumentis designantur; prope Lares.

A TIMISA.

Mactah?

Τιμίχην Ptolemæus IV, 2 et 3 inter Mauretaniæ Cæsariensis recenset civitates quæ erant sub legione Augusti tertia cujus inscriptiones mentionem afferre solent, ut patet ex codice D. Leonis Renier amplissimo. — Plin. V, 2. — Fuit vero inter fluvios Cartennum atque Mulucham ac non procul ab Arsenaria Timice sita.

Cfr. Dupuch, *Essai*, p. 244.

(HUNERICI SUB PRINCIPATU CLXVIII MAURETANIARUM EPISCOPI CARTHAGINEM PETIERUNT.)

E LOCIS INCERTIS.

AB AGGYA.

Harduinus t. 1. — *Agensis* et alius episcopus anno DC XXXX VI habetur. — Hard. t. III, p. 752. In *Notit.* Aggyæ episcopus non nominatur.

AB AUSAFA.

Sæpissime *Ausafam* commemorant concilia, ut apud Harduinum videre est; et *Assafensis, Ausafensis, Assabensis* episcopus vocatur. — *Asava* vel *ad Sava* apud *Ant.* et *Peut.* Ad rivum hodie *Sava* dictum. *Mannert,* 517. Shaw, t. I, p. 129. Attamen *Ausafam* neglexisse geographos dicit Morcellus, I, p. 87.

A BILTA.

Concilio Carthag. sub Bonifacio subscripsit Restitutus *Viltensis*, anno scilicet DCCV. Hard., t. II, p. 1082.

A BUSSACENIS.

H. Mamma?

Βυζακίνα, Ptol. in Byzacena. — Vide Bochart, Geogr. sacr., p. 492. — Nihil apud Morcellum, nihil apud *Ruinart.* Byza chald. mamma est.

A CIBALIANA.

Præter Donatum *a Cibaliana* qui Cypriani tertio

concilio adfuit, Cresconius *Cibaliensis* anno CCCCXI collationi Carthaginiensi subscripsit. Κιβαλινῆς.

A LUPERCIANA.

Tantum in conc. Cypr. tertio nominatur *Lupercianum* oppidum. — Hard., t. I, p. 171.

A THIBARI.

H. Medeïnah ?

Præbetur in conc. Cypr. de Baptismo et *Cognit.*, 1, 133. — Insuper legitur ad *Thibaritanos* Cypriani epistola. — THIB.. ITANNVM præbet Inscript. Guerin.

Cum vero *Thibaritanos* visere in votis se habuisse dixerit Cyprianus, eorum licet civitatem remotam esse declaret, Baluzius ad ep. 56. Thibarim provinciæ Byzacenæ fuisse arbitratur.

A VICO CÆSARIS.

Clarissimam Juliam Cæsaream ita designari Pamelius putat. Cæsarienses sane et in *Notitia* et in conciliis permultis episcopi nominantur. Ruinart, *Notæ in notitiam Africæ*, *Numid.*, p. 268. Utut sit, Cæsaream, antea Jol vocitatam, Jubæ regiam, a Claudio coloniæ jure donatam, sæpissime antiqui egregieque laudant, Plinius, Ptolemæus, Antonius qui eam Cæsaream coloniam dicit, Pomponius Melas, Procopius, Symmachus, Solinus. *Cherchell* vero esse Cæsaream illam indicant et multæ ruinæ et veteres inscriptiones. Nonnulla et rerum christia-

narum monumenta illic reperta fuerunt, inter quæ crucibus lychni decorati atque agnorum cruci affixorum signa potissimum celebrantur. Cæsarea porta fruebatur insulaque ante portum ; tum ædibus, tum amplitudine, tum cothone insignis, totius Mauritaniæ provinciæ metropolis habebatur.

AREAM ET SEPVLCRA CVLTOR VERBI CONTVLIT
ET CELLAM STRVXIT SVIS CVNCTIS SVMPTIBVS
ECCLESIÆ SANCTÆ HANC RELIQVIT MEMORIAM
SALVETE FRATRES PVRO CORDE ET SIMPLICI
EVELPIVS VOS SATOS SANCTO SPIRITV
ECCLESIA FRATRVM HVNC RESTITVIT TITVLVM
M A I SEVERENCIANI C V

Berbugger, *Revue africaine*, t. I, p. 119. — *L. Renier*, n° 4025, et. n. 3873-4040.

Quam vero coloniam apud nostros inclyti martyres sacræque ædes quas memorat Augustinus illustrarunt.

Quum vero loca meis pro viribus recensuerim quæ societates christianæ celebrarunt, reliquum est ut ad rem ipsam accedamus, atque Ecclesias qua ratione intus constitutæ sint dispiciamus. Cuique autem cœtui, minimo etiam, in villis quandoque atque in fundis, præerat inspector seu episcopus quem in sacris adjuvabant seniores viri dicati vel presbyteri, ministri principes sive diaconi qui potissimum eleemosynis operam navabant, atque inferiores famuli qui fossorum, ostiariorum, anagnostarum acolythorumque partes exsequebantur. E

variis Africæ romanæ provinciis Carthaginem convenire quotannis solebant episcopi quibus Carthaginiensis pontifex loci causa præerat. Jam ante Cyprianum scimus Carthagine de sacris concilia habita fuisse; præterea quaque in provincia senior episcopus inter alios principem locum obtinebat et concioni præsidebat provinciali : ita Lambesæ in Numidia nonaginta patres synodum celebrarunt.

Attamen, Baronius licet de hac re una et viri amplissimi aliter sentiant, Christianos quoscumque communi habitu usos fuisse hac in nascenti Ecclesia compertum habemus. Quibus sane tum consuetudo inter se ac familiaritas, tum simplicitas ac modestia cui præsertim studebant, imprimis vero profanorum adeo acerbum in Christum odium et inutilem et molestum et periculosum alienæ vestis usum præbuisset. Plebeio igitur et humili ornatu induebantur; at in mundis vestibus eos rem divinam fecisse dicit Tertullianus. Quamobrem ille mulieribus purpureas, hyacintheas, ærinas vestes exprobrat, ac nativum velleris colorem laudat, utpote qui a natura parente præbeatur[1].

Quod omnibus perspicuum fore ex ipsius Cypriani vita existimamus. Cum enim « post iter longum nimio sudore madidatus sederet, quidam ex tesserariis, quondam christianus, res suas obtulit, quasi vellet ille vestimentis suis humidis sicciora mu-

1. *De Cultu fœminarum*, l. I, c. VIII.

tare[1]. » — Si quidem ab Ethnicis episcopi distincti fuissent ornatu, miles certe non suum Cypriano præbuisset vestimentum. Nihilominus, Baronius quoddam serici rubri indumentum quo nunc Romani decorantur cardinales, illi tribuit, quod Cyprianus sese *lacerna byrrho exspoliasse*, cum capite plectendus foret, in actis proconsularibus[2] dicitur. Byrrhus vero vestis erat quam multi chlamydem interpretantur; in jucunda sancti Deicolæ *legenda* quam octavo vel nono sæculo adscribendam esse Bollandus existimat, *byrrhum suum* solis radio vir pius traditur suspendisse. Ostendit sane *Du Cange* byrrhum antiquitus rufum seu fulvum significasse habitum. Cuinam igitur vir eruditissimus persuasum esse velit singulari cultu, sævientibus imperatoribus, usos esse Carthaginienses episcopos? At vero in sacris episcoporum sellæ linteis exornari solebant, quippe, cum in prætorio esset Cyprianus, habuit sedile « fortuito linteo tectum, ut et sub ictu passionis episcopatus honore frueretur[3]. » Inde ad quemdam Donatistam episcopum scribens Augustinus, nemini profuturas in summo Christi judicio *cathedras velatas* declarat[4].

Ea nimirum ratione, ut plurimum, vulgari Christiani cibo vescebantur[5], excepto quod parce et fruga-

1. Pont. Diac., c. XVI.
2. *Acta Cypriani proconsularia*, c. V, apud Ruinart.
3. Apud *Pontium diaconum*, c. XVI.
4. Aug., *Epist.* XXIII.
5. Tert., *Ap.* XLII.

liter viverent, ac Judæorum ritu et a suffocatis carnibus et ab animalium sanguine abhorrerent. Nos, inquit Tertullianus, « ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus, qui propterea suffocatis et morticinis abstinemus[1]. » Itaque si quis eos tentaret hostis, illis *botulos* cruore distentos offerebat; quos qui respuebat, sese ipso facto Christi disciplinæ addictum fatebatur[2].

Communis igitur vitæ nequaquam expertes, participes sese præbebant et fori, et macelli, et balneorum, et tabernarum et officinarum; cum cæteris illi et navigabant et rusticabantur et mercabantur, suas denique operas publicis miscebant artibus[3]. Tantum a cæremoniis, a templis et ab eorum superstitiosis sollicitudinibus temperabant[4]. Quamobrem capitibus suis neque coronas neque flores imponere solebant, ut mos erat, quod diis ista dicabantur[5]. Ideoque Gregorius ille Nazianzenus amœne dicebat se flores habere vernis quibuslibet floribus tum dulciores, tum fragrantiores, utpote perceptos pleno ex agro quem colit Christus cuique favet[6]. Attamen, quum esset illis domesticus ethnicorum usus et con-

1. *Ap.* IX.

2. *Ibid.* Conf. *Act. Ap.* xv, 27. Ita Minucius Felix (xxx) dicit Christianos non nosse « edulium pecorum in cibis sanguinem; » *edulia pecora* vocat quibus vesci licet, sicut *edules capreas* scribit Horatius (*Sat.* 11, IV, 43), et *esculenta animaliá* Plinius, VIII, 55.

3. Tert., *Ap.* XXVII.

4. *Ap.* XLII.

5. Tert., *de Corona Phil.*

6. *Orat.* II cont. *Jul.*

suetudo, a spectaculis debebant abstinere; et quæ in theatris venditabantur, ex officinis peterent necesse erat[1]. Famæ igitur nitorem aversati, a viro quoque spectatissimo abhorrentes, virili pro parte cœtum et homines vitabant, ut in secreta sese removerent. Ergo, si res perpendatur ut in se est, illis nihil antiquius quam solitariam, occultam, taciturnam vitam ducere, quam in silentio atque in modestia versari[2].

Jam vero quum profanos cœtus, quum epulas, quum spectacula, quum, quantum poterant, hominum frequentiam christiani fugerent, inter se conjunctissimi erant, quippe qui *unum spiritum sanctitatis bibissent*[3]. Quam tamen amicitiam jam imminutam, quam voluntatum consensionem ætate sua paulum remissam Cyprianus his gravissimis verbis conqueritur : « Domos tunc et fundos venumdabant; et thesauros sibi in cœlo reponentes, distribuenda in usus indigentium pretia apostolis offerebant. At nunc de patrimonio nec decimas damus; et cum vendere jubeat Dominus, emimus potius et augemus. Sic in nobis emarcuit vigor fidei, sic credentium robur elanguit[4]. » Sed tempus actum laudandi causa, æqualium suorum moribus aliquam inferre injuriam videtur, cum ipse bona sua vendiderit ut pecuniam inde quæsitam inter pauperes divideret, cum

1. *Cap.*, l. XLII.
2. Tert., *Ad Scap.*
3. Tertull., *Apol.* XXXIX.
4. Cyprian., *de Unitat. Eccl.*

in litteris sæpissime christianorum munera fratribus indigentibus mittere se declaret. At quidquid sit, si apud eos non jam, ut Tertulliani ætate, omnia plane indiscreta erant et communia[1], sese tamen invicem singulari charitate profecto complectebantur. Romani enim presbyteri ac diaconi, cum ad Cyprianum scriberent, Carthaginiensium Christianorum « amorem mutuum et charitatem exemplis multis reciprocæ affectionis in se invicem sæpe compertum » summopere prædicabant[2]. Ita, Numidiæ episcopis qui captivos Christianos e barbaris redimerent, sestertia centum millia, collatione facta, dare potuit, et grates agere quod a Carthaginensibus suis opem petiissent, et ita populo quasi agrum tradidissent in quem semen emitteret, messem in cœlo daturum[3]. His quidem donis, hoc studio, hac in captivos benefica voluntate magnificum præbuerunt exemplum quod secuti, a servitute duodecim centum millia Christianorum vindicasse tum a Mercede fratres, tum Trinitarii socii dicuntur. At librum *de opere et eleemosynis* legere satis est ut hujusce Ecclesiæ sensus plane agnoscamus. Necessariam scilicet admodum esse charitatem comprobaturus, dicit auctor neminem Christi gratiam promereri nisi in alios bonum, nisi in pauperes beneficum, asseritque quum preces tum jejunia ei fore inutilia qui rei suæ sese præberet attentiorem.

1. Tertullian., *Apol.* XXXIX.
2. *Inter Cypriani Opera,* apud *Baluzium, Epist.* XXX.
3. Cyprian., *Epist.* XL.

Tunc animos Africanos, ardentem compellans populum, speciosis ac dilectis usus imaginibus, eleemosynam ostendit ut editum Deo spectaculum, cujus *munerarius* non consulatibus, non quadrigis, non secundis populi admurmurationibus studeat, sed summique et unici spectantis plausus ambiat[1]. Ea prorsus in pauperes beneficentia Ethnicos mirum in modum delectabat permultosque in Ecclesiæ partes trahebat, quamvis vitæ asperitas, durities morum, severitas disciplinæ mentes terrerent. Namque, ut aspere aiebat Tertullianus, in isto solo solvunt Christiani consortium in quo solo exercent cæteri homines[2]. Verumenimvero in regionibus quas perurunt soles assidui, apud populos mollitie affluentes, vel maritalem fidem, vel viduarum *laboriosam castitatem*[3], vel virginalem integritatem servare perarduum habetur.

Nec dubium quin ad hæc accederent prædura et jejunia et pervigilia quæ militari verbo *stationes* vocabantur[4] : in angustis scilicet reipublicæ temporibus, diebus præstitutis ac frequentibus, ductis inter fletus noctibus, Hebræorumque ritu humi fusi, cœlum, ut dicebatur, invidia tundebant. Quod si quis tantis in laboribus deficeret, si *lapsus* partem obtineret inter *pœnitentes*, illi durissima erat expiatio agenda, cujus tamen tempus quidam a martyribus dati libelli con-

1. *De Opera et Eleemosyn.*
2. Tertull., *Ap.* XXXIX.
3. Cyprian., *de Bono patient.*, XX.
4. Tertull., *de Jejunio*, l. XIII.

trahere poterant. A balneis autem et ab epulis ei erat abstinendum; barbamque et capillos ei interdictum alere; mulieribus etiam « nigri pulveris ductu oculorum lineamenta depingere », secundum morem gemmisque et margaritis exornari, inficere comam, sericis vestiri, tum prohibitum[1]. Præterea oportebat « impensius rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere, in cinere et cilicio et sordibus volutari, post indumentum Christi perditum nullum jam velle vestitum, post diaboli cibum malle jejunium, justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemosynis frequenter insistere, quibus a morte animæ liberantur[2]. » Sed « ante expiata delicta, ante exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificiis et manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini et minantis » vim inferre si sacrorum participes essent lapsi, declarabantur « corpori ejus et sanguini, et plus in Dominum manibus atque ore delinquere quam cum Dominum negaverant[3]. » Cum vero illi Ecclesiæ satisfecissent, cum antiqua ab episcopo recepissent jura, tum « certamen milites repetere poterant atque aciem iterare[4]. »

Christiani quidem cum episcopo ecclesiam ha-

1. Cyprian., *de Lapsis*, potissimum cap. XXX.
2. *De Lapsis*, XXXV.
3. *De Lapsis*, Oxoniensis editionis, c. XVI.
4. *De Lapsis*, XXXVI.

bere, aut domi, si pace fruerentur, aut, si oppugnarentur, inter *areas* et hortos, atque *dominicum* celebrare solebant[1]. Jam collocabantur *corbæ* ad munera excipienda. Donorum vero pars altera pauperibus erat eroganda; hinc ad Eucratium cum scribit Cyprianus, histrionem quem a theatris deterrere exoptat, adscribendum esse dicit inter eos qui alimentis ecclesiæ sustentantur, dummodo tenui mensa contentus sit[2]; altera pars ministris ac viduis ad vitæ necessaria, mensibus singulis, sub *mensurarum* nomine distribuebatur[3]. Imo *sportulæ* erant quarum participes clerici, fortasse egentes, *sportulantes* vocabantur[4]. Modicam vero stipem quisque « suo dabat judicio arbitrioque, nam nemo compellitur, sed sponte confert[5]. » E quibus, præter pauperibus alendis ac clericis viduisque sustentandis tributa, « egenis humandis, et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis (permulti enim *in mari sævo et importuoso*, naufragium patiebantur), et si qui in metallis et si qui in insulis vel in custodiis[6], » maximam pecuniam impertiebantur.

1. *De Oratione dominic.*, et *de Oper.* et *eleemos.*
2. Cyprian., *Epist.* LXI.
3. *Epist.*, XXVIII.
4. *Epist.* XXXIV, c. v, et *Epist.* LXVII, c. I. Medio ævo verba erant *sportula*, *sporta*, *sportule*, *esportule*, quibus honoraria dona chartæ significant. Ex sportis vero seu canistellis nomen deducitur, ex eo quod in eis munera colligi solebant.
5. Tertull., *Apol.* XXXIX.
6. Cyprian., *Epist.* V.

Quoad fieri poterat, diebus singulis cœtus ille habebatur, plerumque vespere, interdum mane. *Præfatione* acta, divinæ legebantur litteræ ; deinde martyrum memoriam renovabant, et sermonem ad populum habebat præses[1]. Sequebantur censuræ ; tum sacra fiebant ; ac fideles, panis consecrati in manibus recepto frustulo, ejus partem sumebant in templo, partem domi deferebant ut qui a mysterio impediti essent, eulogiorum tamen participes forent[2]. Quibus et synaxibus interdum jungebatur cœna communis quam agapen vocabant, utpote in *fraternæ amicitiæ* signum habitam. Post cœnam, antiquo more, abluebantur manus, et sacra conficiebantur. Quandoque, matutinum in tempus dilatis mysteriis, lotis manibus accensisque luminibus « quisque de scripturis sanctis vel de proprio ingenio provocabatur in medium Deo canere[3]. » Tum psalmi sonabantur vel pia concio habebatur[4]. Quibus tandem actis gratiisque Deo persolutis, convivæ modestiam ac pudicitiam exhibentes discedebant[5]. In sacris Christiani Afri, Constantini junioris saltem ætate, calice producto utebantur, ut manifestum est nummo a Dupuch edito cujus hæc est inscriptio :

SECULI FELICITAS XRISTOS

Cum vero sæviret tempestas, in carceribus ad con-

1. Justin., *Apol.* I, LXVII. — Tertull., *Apol.* XXXIX.
2. Cyprian., *Testim.*, III, *de Lapsis*, *Epistol.* LIV et LVI.
3. Tertull., *Apol.* XXXIX, etc.
4. Cypr., *ad Don.*, sub fine.
5. Tertull., *Apol.* XXXIX.

fessorum solatium, si possent, rem faciebant divinam.

Quod si quis totam congregationem qui regeret eligendus esset, a provinciæ episcopis in eumdem locum congregatis, cleri populique latis suffragiis, nominabatur. Electionis istius plane modum in litteris ad Antonianum Cyprianus exhibet[1]. Episcopus vero cum clero ac populo solebat negotia communicare[2]; si quis ex eis a vera fide dissidere perspiceretur, cæteri ejus oves debebant colligere[3]. Quotannis tandem, Paschalia post festa quilibet episcopi Carthaginem petebant ut concilia inirent. Præterea, ut jam diximus, ejusdem provinciæ episcopi synodos habebant in quibus, ut hodie solent præfecti nostri, inter se de rebus privatis conferebant. Itaque eos qui Christianæ Africæ rebus student, potissimum legendis Carthaginiensibus conciliis intendant animum necesse est, e quibus scilicet et doctrinam et disciplinam et mores et usus et facta amplissime accipient.

1. Cypr., *Epist.* LII.
2. Id., *Epist.* XXXII.
3. Id., *ad Steph. Pap.*

CAPUT SECUNDUM.

Cypriani Ecclesiæque Carthaginiensis historia.

Thascium Cyprianum Africanum fuisse constat; quo vero in oppido natus sit, incertum. Illum tamen Carthagine oriundum multi arbitrantur, quum de illo hæc habeat Prudentius:

Est proprius patriæ martyr, sed et amore et ore noster.
(Περὶ Στεφάνων, v. 13.)

At Cyprianus ipse eam urbem pro patria sibi vindicare non videtur, quippe qui dixerit: « Ubi enim mihi aut melius possit esse aut lætius quam illic ubi me Deus credere voluit et crescere[1]? » Imo quidam senatoria domo Thascium ortum esse ex his Augustini verbis existimarunt: « Mutati sunt piscatores, mutati sunt postea etiam plurimi senatores; mutatus est Cyprianus[2]. » Quum vero Pontius ejus neque de familia neque de juvenibus annis verba facere voluerit quia, ait, hominis Dei facta non debent aliunde

1. *Epist.* XXXVI.
2. *Serm.* 311, VIII, ed. Benedict.

numerari nisi ex eo quod Deo natus est, hæc in ambiguo relinquantur necesse est[1].

Ut ut sit, Cypriani nobis imaginem verbis optimam præbuit quam intueri juvat, ejus diaconus Pontius: « Gravis vultus et lætus; nec severitas tristis, nec comitas nimia; sed admixta utrimque temperies, ut esset ambigere, vereri plus an diligi mereretur, nisi quod et vereri et diligi merebatur. Sed nec cultus fuit dispar a vultu, temperatus et *ipse de medio*. Non illum superbia sæcularis inflaverat, nec tamen prorsus affectata penuria sordidarat; quia et hoc vestitus genus a jactantia minus non est quam ostentata taliter ambitiosa frugalitas... Tantum sanctitatis et gratiæ ex ore ejus lucebat, ut confunderet intuentium mentes[2]. »

Hæc vero indoles temperata, hæc mens sanissima, hi mores *medii* in Cypriani et vita et scriptis clarissime atque amplissime indicantur. Hostes enim suos, si decet, fugit, nec mortem honestam nescit; sese optima fide sacris legibus obligat, at rerum dilucidandarum causa rationis summæ usum exhibet. Nusquam omnino immoderatum animum patefacit, semper autem nimios homines vituperat. In modo, in rectis finibus consistere solet sapientissimus. Inde

1. Attamen Gervasius Cyprianum fuisse senatorem asserit. *Cypriani Vit.*, 1717, p. 5. Ita et Baronius qui falso Gregorii Nazianz. auctoritatem usurpat, cum, ut infra probabimus, Gregorius duos Cyprianos, Carthaginiensem nimirum et Antiochenum in unum misceat.

2. Cap. VI, apud Ruinart.

nescio quo facto cum Fenelonio cui tamen minus placebat, interdum comparatur. Si viros a se multum distantes assimilare libeat, quippe cum cœlum, res, ætas alienissima sint, Bossuetii tum a morum simplicitate, tum ab æqua sentiendi consuetudine illum propiorem existimo. Idem et ingenium altum ac sublime oritur ex eadem summa in judicando prudentia atque optima mente. Sed ab utroque differt Fenelonius qui ita artificio delectatur, qui homines ita titillat et aures permulcet, qui sese in quibusdam ita intemperatum habet, qui tandem venustate ac lepore ita semper affluit ut magis ingeniosus scriptor et consummatus artifex quam imperator gravis, sapiens, errorisque expers esse videatur.

Attamen Cyprianum juvenem artem oratoriam docuisse compertum est [1], et aliquandiu in dicendo affectasse ambitiosa ornamenta quæ ad Christum conversus celerrime recidit. Quamobrem in litteris quibus Donato viro sibi amicissimo recens Christianus sensus suos aperit, quædam reprehendit Augustinus, utpote quæ rhetoricam olerent. Quum vero ejus libros evolvo, veteris in voluptatibus mundi Cyprianum versatum fuisse arbitror, qui scilicet de rebus loquitur vividissimis illis cum sensibus quos hominum usus tantum dare solet. Si ergo de theatris verba facit, gaudii in spectaculis fontem dicit oriri ex illis secretis atque dulcibus affectibus quibus concitatur homo

1. Lact., *Divin. inst.*, l. V, 1, et Hieron., *de Script. ecclesiast.*

cum ea ad se pertinentia conspicit. « Tum delectat in mimis turpitudinum magisterio vel quid domi gesserit recognoscere vel quid gerere possit audire[1]. » Quæ sane atque hujusce modi bene multa virum olim profanarum deliciarum non prorsus imperitum spirare videntur. Imo fatetur ipse, ait Augustinus[2], cujus fuerit vitæ aliquando, quam nefariæ, quam improbandæ ac detestandæ. Etenim, ac fortasse ad hunc sermonem alludebat Augustinus, ad Donatum suum scribebat : « Ego cum in tenebris atque in nocte cæca jacerem, cumque in salo jactantis sæculi nutabundus ac dubius vestigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ nescius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorsus ac durum pro illis tum moribus opinabar quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur... Quî possibilis, aiebam, est tanta conversio ut repente ac perniciter exuatur quod vel genuinum situ materiæ naturalis obduruit, vel usurpatum diu senio vetustatis inolevit?... Quando parcimoniam discit qui epularibus cœnis et largis dapibus assuevit? Et qui pretiosa veste conspicuus in auro atque in purpura fulsit, ad plebeium se ac simplicem cultum quando deponit? Tenacibus semper illecebris necesse est, ut solebat, vinolentia invitet, inflet superbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas stimulet, ambitio delectet, libido præcipitet[3]. »

1. *Ad Donat. epist.* I, VIII.
2. Aug., *Sermo* 311.
3. Cypr., *Ad Don. epist.* I, III.

Quæ sane sentire incipiebat Cyprianus, cum jam Christi discipulis et aurem et animum adhiberet.

Enimvero Cæcilius presbyter quem esse Cæcilium illum in Minutii Felicis dialogo actorem multi arbitrantur, eum sibi adjungebat et in partes suas trahebat. At rhetor ille « stipatus clientium cuneis, frequentiæ comitatu officiosi agminis honestatus[1], » ut mos erat, « tenacibus illecebris » voluptatum alligatus, allectus libertate, poetarum et fabulis delectatus, in incerto habebat quid consilii caperet. Atque ut alter Africæ clarissimus rhetor quem etiam mundi deliciæ irretierant, Cyprianus indesinenter fluctuabat et acerbissimis doloribus cruciabatur. A veteri cultu ad Christianam disciplinam virorum et acri ingenio et litteris antiquis præstantium transitionem illam animadvertere non possumus quin magnopere commoveamur. Notissimæ vero sunt chartæ illæ quasi lacrymis madentes quibus animi sui historiam, ut ita dicam, aperit, quibus et desiderii acerbitatem et cupiditatis ardorem et ad futura impetus et reditus ad præterita memoria tristi simul ac dulci ad vivum effingit. Ita secum Cyprianus conversionis tum amaritudinem tum dulcedinem volvebat. Viri igitur qui opulentissimorum more Romanorum magnifice induebantur, qui ad honores ascendebant amplissimos, qui in quibuslibet voluptatibus volutabantur, Christianorum tenuem mensam, plebeiam

1. Cypr., *Epist.* I, III.

consuetudinem, simplicem atque a scena remotam vitam incredibili affecti ægritudine contemplabantur. Itaque æqualium suorum jucundis a moribus sese erepturus, ut durissimam conditionem persequeretur, altius animis iste mœrebat æstuans. « Ut ipse, inquit, quam plurimis vitæ prioris erroribus implicitus tenebar, quibus exui me posse non crederem, sic vitiis adhærentibus obsecundans eram, et desperatione meliorum, malis meis veluti jam propriis ac vernaculis offavebam.[1] » Summam igitur cum videret illam Christianos inter atque Ethnicos animi dissimilitudinem, quî, admiratione perculsus aiebat, possibilis est tanta conversio? Attamen e suorum moribus semetipsum subduxit, et Cæcilii sui sermonibus docilis, Evangelii disciplinam suscepit Christoque magistro usus est. Hunc vero Cæcilium quo auctore Ecclesiæ sub imperio sese subjecerat ita coluit, ut amoris singularis pignora illi dederit, qui Cæcilii cognomine sese auxit. Sacerdos vero Cæcilius moriturus ut pietatis hæredi atque dilectionis filio conjugem suam liberosque commendavit. At vero, ut aqua statim ablutus est, fluctuantis animi concidit tumultus. Quos enim post aquam sensus habuerit, Donato suo aperit, hominemque ita licet intus et in cute conspicere : « Postquam, ait, undæ genitalis auxilio superioris ævi labe detersa, in expiatum pectus serenum ac purum desuper se lumen infudit,

1. Cypr., *Epist.* I, IV.

postquam, cœlitus spiritu hausto, in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare quod prius difficile videbatur, geri posse quod impossibile putabatur[1]. »

Jam vero, quum primum Christi signa Thascius fuerit consecutus, priscorum Christianorum more, bona sua vendidit sub hasta, ut inter pauperes eorum pretium divideret, totumque religiosis rebus sese daret. Quæ inter bona potissimum laudabantur ad Carthaginis portam horti amœnissimi. Fortasse ad illos alludit cum in Epistolis depingit, Socratis ac Tullii ritu, dulcem ac secretum locum quo juvat de rebus divinis agere. Ergo, « indulgente vindemia » et « fatiscentis anni » pactis induciis, ne colloquium profanus perturbet interventor, ne strepitu peregrinentur aures, fabulaturi secessum petunt jucundum cui autumnus novam suavitatem addit. « Dum erratici palmitum lapsus nexibus pendulis per arundines bajulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt. Bene hic studia in aures damus; et dum in arbores et in vites oblectante prospectu oculos amœnamus, animum simul et auditus instruit et pascit obtutus, quamquam tibi sola nunc gratia, sola cura sermonis est[2]. »

Ita fere Tullius[3] erat de vite locutus quam mul-

1. Cypr., *Epist.* I, IV.
2. *Epist.* I, I.
3. *De Senectute*, XV.

tiplici atque erratico lapsu serpentem ait et natura caducam arte dirigi agricolarum ; ita præsertim naturæ consideratione atque contemplatione, quasi mentis pabulo, recreabatur. Thascii igitur eo fuit semper antiquorum simile ingenium ut maris ac terræ imaginibus summopere delectaretur. Augustini vero more, cum hujusce orbis res conspiceret, cum cœlum solibus assiduis perustum, cum amœna vireta, cum Oceani immensos tractus intueretur, altius mente defixus erat atque alebatur divinis.

Litteræ illæ ad Donatum et animi quadam effusione, et juvenili quasi dictione, et animo a musis non averso paulo post Cyprianum mutatum scriptæ fuisse videntur. In illis, conversione narrata, amicum ad hujusce terræ rerum contemptum et ad assiduam orationem adhortatur. Attamen, Augustinus, qui has litteras refert, Cyprianum graviter vituperat eo quod, inquit, doctrinam spumeo verborum ambitu ornaverit [1]. Cum vero sententiarum præstantia a dictorum arte non abhorreat, si censura illa non severior ac durior haberetur, melioris notæ ecclesiastici scriptores reprehensioni obnoxios sese præberent. At jansenistas profecto summopere delectabat doctoris sui illud judicium, quippe qui naturæ corruptioni pessimæ dicendi urbanitatem et orationis tractum lenem tribuere solebant. Sed rectior videtur Lactantii sententia qui litteras bonas rebus christianis

1. Aug., *de Doctr. Christ.*, IV, 14, et *Serm.* 312.

non nocere, prodesse autem quam plurimum declarat[1]. Quare Cypriani priscos inter editores unus ita præfatus est : « Æquo satis animo ferre nequaquam possum recentiorum quorumdam *novam hæresim* qui nullum orationis florem sequentes, putant quod expolito limatoque tractatur eloquio, rei sacræ admodum officere. Nam si eloquentiam rem mediam esse agnoscunt, qua et recte uti et male possumus, quis mentis compos dicere audet non debere dogmatis christiani professores in defendenda veritate ea uti qua in extollenda falsitate omnes abusi sunt gentiles[2]? »

Venditis igitur et hortis et cæteris, sacris auctoribus evolvendis potiorem operam navavit, inter quos sæpius et Minutium Felicem et Tertullianum versare assueverat. Narrat Hieronymus se conspexisse « quemdam Paulum, Concordiæ, quod Italiæ oppidum est, senem qui se beati Cypriani jam grandis ætatis notarium, cum ipse admodum esset adolescens, Romæ vidisse diceret, referre sibi solitum nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unam diem præteriisse ac sibi crebro dicere : *Da mihi magistrum*, Tertullianum videlicet significans[3]. »

Quem nimirum et Minutii Felicis et Tertulliani usum clarissime atque amplissime indicat liber *de Vanitate Idolorum* quem referre oportet ad tempus il-

1. Lactant., *Divin. Institut.*, V, 1.
2. Venet., edit. 1483. Videsis Baluzium ad hanc epist. primam.
3. *Catal. vir illust.*, 53, et *Ep. ad Pammach.*, 41.

lud quo recens conversus in scriptores Christianos studium intendebat. Etenim et deorum romanorum inanitatem et Dei unitatem comprobaturus, tum res tum verba ex Minutii Felicis dialogo et Tertulliani apologeticis libris accepit. Ætatem ad hanc pertinere videntur tum verborum sensuumque splendor, tum dicta minus accurata (ita, ut exemplum afferam, ait *regna sorte variari* et *Christum ad superos regressum esse*). Easdem ob rationes hujusce ævi est *ad Demetrianum epistola* qua Africæ proconsuli qui mala publica Christianis imputabat, declarat Ethnicos jure potiori causam et caput cladium habendos esse, utpote qui injustissime agebant. Quibus in scriptis auctor et a Tertulliano et a Minutio Felice quædam et quod ad sensum et quod ad voces attinet, desumpsisse plane compertum est. Jam Minutio ipse Tertullianus in apologetico usus fuerat [1], sed locum hic afferre in quo una et M. Felicem et Tertullianum qui jam priori studuerat, Cyprianus imitatus ac consecutus est, rei nostræ fore arbitrati sumus; Lactantius ex *Octavio* plura haurire etiam haud dubitavit; Cyprianusque ipse in epistola *ad Donatum* jam Minutii vestigiis insiterat [2].

1. De *Octavii* ætate et stylo videsis *Le Nourry* viri benedictini dissertationem.

2. Hunc tamen locum indicat, vir sane doctus, ut Cyprianum inter Christianos, qui philosophiæ campum exaraverit primum fuisse comprobaret. *Fabre*, p. 37.

MINUTIUS FELIX.

Rex unus apibus, dux unus gregibus, in armentis rector unus; tu in cœlo summam potestatem dividi credas?...

Hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari, sensibus major est, infinitus, immensus et soli sibi, tantus quantus est notus; nobis vero ad intellectum pectus angustum est; et ideo sic eum digne æstimamus dum inæstimabilem dicimus. Eloquar quem admodum sentio: magnitudinem Dei qui se putat nosse, minuit; qui non vult minuere, non novit. Nec nomen Deo quæras, Deus nomen est.

Illic vocabulis opus est, cum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est: Deo qui solus est, Dei vocabulum totum est. Quem si patrem dixero, terrenum opineris; si regem, carnalem suspiceris; si dominum, intelliges ubique mortalem. Aufer addimenta nominum, et perspicies ejus claritatem.

Quid? quod omnium de isto habes consensum: audio vulgus, quum ad cœlum manus tendunt, nihil aliud quam DEUM dicunt; et DEUS MAGNUS EST; et DEUS VERUS EST;

CYPRIANUS.

Rex unus est apibus, et dux unus in gregibus, et in armentis rector unus; multo magis mundi unus est rector...

Hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari, sensu major est; et ideo sic eum digne æstimamus dum inæstimabilem dicimus. Quod verò templum habere possit Deus, cujus templum totus est mundus? et cum homo latius maneat, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam? In nostra dedicandus est mente, in nostro consecrandus est pectore. Nec nomen Deo quæras: Deus nomen est illi.

Illic vocabulis opus est, ubi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est: Deo qui solus est, Dei vocabulum totum est. Ergo unus est, et ubique totus diffusus est.

Nam et vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, cum mens et anima sui auctoris et principis admonetur. Dici frequenter audimus: O DEUS, et DEUS VIDET, et DEO COMMENDO, et DEUS TIBI REDDAT, et QUOD

TERTULLIANUS.

Quod colimus, Deus unus est... invisibilis est etsi videatur; incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentetur; inæstimabilis, etsi humanibus sensibus æstimetur; ideo verus et tantus est.

Cæterum quod videri communiter, quod comprehendi, quod æstimari potest, minus est et oculis quibus occupatur, et manibus quibus contaminatur, et sensibus quibus invenitur. Quod vero immensum est, soli sibi notum est. Hoc est quod Deum æstimari facit, dum æstimari non capit. Ita eum vis magnitudinis et notum hominibus objicit et ignotum.

Et *hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt.* Vultis ex operibus ipsius tot ac talibus quibus continemur, quibus sustinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exterremur, vultis ex animæ ipsius testimonio comprobemus?

Quæ licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus ac concupiscentiis evigorata, licet falsis diis exancillata, cum tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, et sanitatem suam patitur, DEUM nominet hoc solo nomine, quia proprio Dei veri: DEUS MAGNUS, DEUS BONUS et QUOD DEUS DEDERIT, omnium vox est. Ju-

MINUTIUS FELIX.	CYPRIANUS.	TERTULLIANUS.
et; si Deus dederit. Vulgi iste naturalis sermo est, an Christiani confitentis oratio? *Octavius*, c. XVIII.	vult Deus [1], et si Deus dederit. Atque hæc est summa delicti, nolle agnoscere quem ignorare non possis. *De Idolorum vanit.*, VIII et IX.	dicem quoque contestatur illum, Deus videt, et Deo commendo, et Deus mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ! Denique pronuntians hæc, non ad Capitolium, sed ad cœlum respicit; novit enim sedem Dei vivi; ab illo, et inde descendit. *Apolog.*, c. XVII [2].

Jam vero, cum et virtute et scientia et auctoritate inter suos emineret Cyprianus, presbyterorum in numerum recens aggregatus, Carthaginiensem ad episcopatum *judicio Dei et plebis* favore, inquit Pontius, neophytus licet, electus fuit, anno circa CCXLVIII, ut opinantur[3]. Tum Ecclesia Africana caput a tempestate erigens pace videbatur fruitura. Pacata igitur provincia, Donati mortui in locum Christiani illum subrogarunt; at maxima præditus modestia, et « antiquioribus cedens », a tanto munere abhorruit. Sed « obsederat fores domûs copiosa fraternitas »; ac tandem cepit invitus dignitatem quam factis, scrip-

1. Hujusce verbi *Quod vult Deus* usum Afris carum fuisse comprobant multorum martyrum *Quod vult Deus* in pervetustis martyrologiis nomina et quatuordecem episcopi sic vocati. Apud Shaw Saxo Inscribitur et quidam *Quod vult Deus*, t. I, p. 232.

2. Cfr. De *Testimonio animæ*, lib. II, et de *Resurrect. carn.*, cap. 3.

3. Ex litteris LV anno CCLII scriptis quibus dicit sese « plebi suæ in episcopatu quadriennio jam probatum esse. »

tis, sanguine erat illustraturus. Eo majore autem gaudio fuerunt fideles repleti, quo magis anxio et sollicito animo rem exspectabant.

Nihilominus ei « quidam restiterunt[1]; » Felicissimus nimirum quidam plures ab illo abjungere conabatur ac schisma inire; parum sane in Græcorum subtilitate versati, ex Africanis qui Ecclesiæ auctoritatem rejiciebant, non disputationibus doctis nec legum cavillationibus hæresim meditabantur, sed aspere ac repente dissolvebant consociationem. Verum ad Caldonium et Herculanum quos collegas vocat et ad Rogationum Numidicumque quos compresbyteros declarat, ut ab Ecclesia deterrerent rebellantes ille scripsit[2]. Cujus mandata sunt assecuti sententia quam legere etiam num licet[3]. At vero his nervis, illi animi firmitati clementiam ac lenitatem summam miscuit, namque rebelles qui placidos et molles sese dederunt, non tantum benevole accepit, sed illis et amicissimis et familiarissimis usus fuit[4].

Philippo vero imperitante, cum pace res christiana frueretur, episcopi elucebat animus in hominibus ad honestas artes informandis. Ut disciplina sua Quirinum imbueret, sacris e libris excellentissima libavit[5]; quem Gallicanos adolescentes eruditurus,

1. Pontius, V.
2. *Epist.* XXXVIII, ann. CCLI.
3. *Epist.* XXXIX.
4. Pontius, c. V.
5. *Testimoniorum libri tres.*

optime consecutus est Rollinus noster, insignis juventutis præceptor. Scripturarum igitur verba usurpans atque disponens, Christi religionem fidelium-que officia explanat. Una factis bonæ vitæ instituendæ suis ipse documentum atque exemplum erat; nempe « quemadmodum se gesserit quis referre sufficiat? Quæ illi pietas, qui vigor, misericordia quanta cum censura? Quid autem circa pauperes episcopus faceret, quos catechumenus diligebat[1]? » Sed et illius virtus atque animi firmitudo mox erat probanda. Philippo enim cum filio a militibus necato, anno CCXLIX, Decius qui ejus loco imperii tenuit clavum, in Christianos crudelitatem exercuit. Vix invectus urbem triumphans, leges tulit sævissimas. Nihil immanius, nihil truculentius quam in Christianos judicia, quam et populi et proconsulum furor. Carthago vero magistratu romano tunc carebat; sed plebs in episcopum ferocior invehebatur; et jam frequentibus clamoribus *Cyprianum ad leonem* petebant[2].

Attamen vir ille de se et de suis humiliter ac modeste sentiens, non tam plebis immanitati quam Christianorum labanti disciplinæ calamitatis causam attribuere. Mores igitur ad quamdam mollitiem lapsos, e pristina virtute aliquid suos remissos Cyprianus conquestus, ut ita recoquerentur homines fore

1. Pontius, VI.
2. Pontius, VII, et Cypr., *Epist.* LV, *ad Cornelium*.

sperabat, de sorte sua impavidus, timore licet pro Carthaginiensi ecclesiâ non vacuus esset. Primævæ igitur Ecclesiæ disciplinam imminutam deplorans, auri famem ac vitia quibus ad divitias inflammati laborare solent, hujusce et temporis et terræ commune malum, gravissimis verbis persequitur. Qui ergo res asperas facile tolerarent, iis otium oneri fuit; pecuniæ cupido multorum malorum quasi materies, crevit. At Carthaginiensium mores quæ explicant ea referre juvat.

Diuturnæ ergo pacis securitas ad delectationem Ethnicorum luxuriosi cultus atque pecuniæ quæ commoditates vitæ præbet ac jucunditates, permultos traduxerat. Unde cum fortunas sitirent, pristinæ consuetudinis obliti « studebant augendo patrimonio, ampliandisque incubabant facultatibus. » Ex quo, neque in sacerdotibus devotio perfectior, neque in ministris integrior fides; in viris « corrupta barba, » in mulieribus « forma fucata » et « capilli mendacio colorati » mores ad mollitiem labantes comprobabant. Antiquus Pœnorum morbus, perjurium in Christianorum mentes sese ut venenum lente epotum sensim insinuabat. Imo negotiosum apud populum, qui, bello destitutus, potissimum commercio exercendo et superbiebat et delectabatur, quibus navicularium facere honori erat summo, plurimi videbantur episcopi, « divina procuratione contempta, procuratores rerum sæcularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias oberrantes negotiationis quæs-

tuosæ nundinas aucupari, esurientibus in Ecclesia fratribus, habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus fenus augere[1]. » Ita quiete incuriosi, Christiani longæ pacis mala patiebantur quibus tum concilia tum Cyprianus frena injiciebant. Hominumque fragilitatem eamdem eadem ratione ille reficiebat : « Sciant bona illa esse quæ sunt spiritualia, divina, cœlestia, quæ nos ad Deum ducant, quæ nobiscum apud Deum perpetua possessione permaneant ; quæcumque terrena sunt in sæculo accepta, et hic cum sæculo permansura[2]. » — Ipsas et inter virgines quæ Deo se devovebant, placatis ita omnibus, « ornatæ, comptæ procedere, quasi maritum aut haberent aut quærerent » quædam occurrebant. Facultatibus quidem illæ feroces, auro, margaritis, monilibus, cincinnis, purpura, serico exornabantur ; istæ una et viduæ, quo nuptis ipsis interdicebatur, « adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore aut quolibet denique lineamenta nativa corrumpente medicamine, » ora fucare ambibant[3]. Imo permultæ *auribus inferebant vulnera*, ut inde penderent *pretiosa grana*[4] ; permultæ et *compedibus aureis* sibi et brachia et colla et *pedes ipsos* devinciebant[5]. In Africa etiam num Arabæ mulieres ita sibi constringunt pedes ; quis

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ DE FRANCE

1. Cypr., *de Lapsis*, c. VI.
2. *De Habitu Virg.*, VII.
3. *De Habitu Virg.*, XIII, XIV, XV.
4. *De Habitu Virg.*, XIV.
5. *Ibid.*, XX.

autem eas irrideret, cum apud nos in honore, ut Cypriani ætate, sint auriculares bullæ? Quos igitur antiquos mulieribusque in perpetuum caros usus ille vituperabat, easque ad simpliciora rectioraque hortabatur. Ut bene divitiis uterentur, copiosas ac plene locupletes impellebat virgines. « Locupletem te dicis, vehementissime exclamat, divitem te dicis et utendum putas iis quæ possidere te Deus voluit. » Quod ad perenne eorum argumentum qui bona sua disperdunt, ægritudine affectus respondet : « Utere igitur, utere sed ad utiliora. Divitem te sentiant pauperes, locupletem te sentiant indigentes, patrimonio tuo Deo fenera, Christum ciba ; nam delinquis et hoc ipso in Deum, si ad hoc tibi ab illo divitias datas credis, ut illis non salubriter perfruaris[1]. »

Quibus vir humilis Decii in suos persecutionis vim assignavit. Primum carcere, vinculis, exsilio[2], bonorum direptione fuerunt affecti confessores ; deinde res in pejus ruerunt. Etenim cuicumque Christiano mors impendebat, episcopusque plebis furori potissimum proponebatur. Ipse de se narrat se sæpissime ad leonem in circo atque amphitheatro petitum et proscriptum fuisse[3]. Publice enim legebatur : *Si quis tenet vel possidet de bonis Cæcilii Cypriani episcopi Chris-*

1. *De Habitu Virg.*, XI.

2. Sexaginta quinque Christianos viros Carthaginienses, a Fortunatio in civitatem regresso mulctatos exsilio, Romæ acceptos hospitio a Candida et Numeria sororibus, ad Cyprianum scripsit Celerinus. (*Epist.* XX, inter Cypr. Opera.)

3. *Epist.* XLV.

tianorum[1]. Quamobrem prudens, se suis servaturus, Christi consilio obtemperans, secessionem fecit; quo facto, ut videtur[2], sycophantis qui eum infirmitatis arguerunt, ansas præbuit, dum boni imperatoris munus exsecutus, suorum saluti provideret. Episcopi nimirum multi vestigia consecuti, projectis opibus, urbem deseruere, atque Decii ab impiis jussis declinarunt, sponte facti extorres.

Quem vero ad locum sese receperit ambiguum : absens vero, ut ait, corpore, nec actu nec monitis defuit quominus suis consuleret[3]. Tum episcopum suum Carthago christiana desiderare; namque consilio egebat, cum inimicis obsistere difficile esset. Salutem enim qui fuga non petierant, illi vel diis sacrificarent oportebat, vel *libellatici* vitarent periculum proditione, vel ad ultimum supplicium truderentur. Nempe Carthaginem magistratus regressus, non jam, velut antea, quos a militibus captos in prætorium vocat, eos ad exsilium aut ad vincula damnare, sed in cruciatus et ad mortem dare inexorabilis.

Prior quidem hac rerum tempestate fidei causa mortem obiisse Mappalicus Numida xv kalendas maii videtur, qui vi tormentorum efflavit animam. Hi quidem nervo vel tigno *pedario*, variis illi cruciatibus, fame permulti perierunt; quidam autem sive lapidibus obruti, sivi circumdati ignibus ocius exha-

1. *Epist.* XLIX.
2. *Epist.* XLIX.
3. *Epist.* XIV.

larunt vitam; inter quos quidam *Numidicus*, Numida nimirum, « semiustulatus, et lapidibus obrutus, et pro mortuo derelictus, dum postmodum filia sollicito pietatis obsequio cadaver patris inquirit, semianimis inventus et extractus et refocillatus a comitibus quos ipse præmiserat, remansit invictus [1]. » Quam animi magnitudinem consecrandi causa, Numidicum hunc Cyprianus in Carthaginiensium presbyterorum ordinem cooptavit.

Verumtamen, permulti quorum magis erat consilium imbelle, nomini christiano ignominiam inusserunt qui nimirum « ad prima statim verba minantis inimici fidem suam prodidere, » quique propria defectione, ut assolent homines, parum contenti, cæterorum infringebant animos, atque proconsuli votorum compoti Christianos propinabant deridendos. Quidam vero timidiores, ad dolos conversi, atque aperta abhorrentes ab impietate, se diis sacrificaturos pollicebantur. Quorum « etsi manus pura, et os ejus feralis cibi contagia nulla polluerit, » cum tamen « conscientia polluta fuerit [2], » turpi *libellaticorum* nomine affecti, inter lapsos cum cæteris fidei desertoribus annumerabantur.

In eis rerum asperitatibus, cum maxima molestiarum moles ac turbulentissimæ tempestates ubique Africæ Christianos exagitarent, extorris episcopus omnia gu-

1. *Epist.* XXXV.
2. *Epist.* LII.

bernabat et moderabatur sapientia atque prudentia. Ante discessum, quibusdam sacerdotibus quos compresbyteros in litteris eum nominare diximus, utpote minori in odio versatis, perturbatæ ecclesiæ curam commiserat. At vero, quamquam inimicorum oculi omnia speculabantur, cum, horrendas etiam inter procellas, hujusce ætatis sub regimine, non explorarentur peculiaria recentiorum consummata cum illa scientia a qua declinare fere nemo potest, fortes quidam ac generosi viri cum episcopo commercium habere poterant. Epistolis igitur frequentibus e quibus plurimæ ad nos pervenerunt, ille rerum studiosus publicis inserviebat commodis. Tempestati ergo subveniens, cum pauperes inter Christianos numerosi auxilio indigerent, eis potissimum consulit. « Viduarum et infirmorum et omnium pauperum curam peto diligenter habeatis. Sed et peregrinis, si qui indigentes fuerint, sumptus suggeratis de quantitate mea propria quam apud Rogatianum compresbyterum nostrum dimisi. Quæ quantitas ne forte jam universa erogata sit, misi eidem per Naricum acolytum aliam portionem, ut largius et promptius circa laborantes fiat operatio[1]. » At inter egentissimos qui episcopi studium præcipuum obtinebant, in carcere constituti confessores numerandi sunt; nullum periculum salutis communis causa recusantes, multi diaconi illorum in subsidium ibant. Quorum

1. *Epist.* XXXVI. Conf. *Epist.* XXXVII.

animos inflammaturus, ad summam erga carcere detentos curam eos hortabatur : « Utinam, aiebat, loci et gradus mei conditio permitteret ut ipse nunc præsens esse possem! Promptus et libens solemni ministerio cuncta circa fortissimos fratres nostros dilectionis obsequia complerem. Sed officium meum vestra, quæso, diligentia repræsentet, et faciat omnia quæ fieri oportet circa eos quos in talibus meritis fidei ac virtutis suæ illustravit divina dignatio[1]. » Ipsis vero confessoribus congratulans illorumque animos erigens, divinam mentis suæ incitationem his nudat verbis : « O beatum carcerem quem illustravit vestra præsentia! o beatum carcerem qui homines mittit ad cœlum! o tenebras lucidiores sole ipso et luce hac mundi clariores, ubi modo constituta sunt Dei templa et sanctificanda divinis confessionibus membra vestra[2]! » Sed non tantum a magistratibus atque a plebe vexationes, minæ, carceres, cruciatus mœrore Cyprianum conficiebant extorrem, illi enim gravissimum dolorem incusserunt ipsi fideles; rei narratione detinebimur, quippe cum et hujus ecclesiæ mores et ipsius hominum animi aliquam partem explicet.

Inter confessores qui vel morte damnati erant vel quosdam saltem cruciatus perpessi fuerant, plures lapsis viris in manus dabant libellos quorum gratia facilius in sua munia restituebantur. Cum vero Car-

1. *Epist.* XXXVII.
2. *Epist.* LXXXI.

thagine multi Christum ejurassent, qui tamen brevi ad bonam frugem recepti, ab episcopo delicti veniam exoptabant, martyres circumsistebant ut ab illis litteras quasi commendatitias peterent. Quidam igitur confessores ad Cyprianum scribentes enixe rogarunt « tunc desideria sua examinari et pacem dari, quando ipsa ante mater Ecclesia pacem de misericordia Domini prior sumpserit [1]. » Ex quo episcopus et judex et magister omnia auctoritate sua gerebat, eos licet sibi commendatissimos indulgenter haberet. Neque vero « ante actam pœnitentiam, ante exomologesim gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab episcopo et clero in pœnitentiam impositam, offerre pro illis et Eucharistiam dare [2] » ullus poterat. At quidam episcopi auctoritatis incommodo et detrimento quæ tamen in eo rerum discrimine quavis ratione erat sustinenda, religionis desertoribus litteras tribuerunt quibus pacem lapsis dari mandabatur. Quidam et presbyteri cum eis communicabant Eucharistiamque illis præbebant. Cyprianus autem sacerdotii sui, ut ait, honorem reservans et antiquæ consulens disciplinæ, nullum in gratiam redire posse statuerat « nisi prius illi ab episcopo et clero manus fuerit imposita », atque his in gravissimis delictis omnia prudentia dicebat moderanda [3]. Ut ecclesiam perturbarent, ut potis-

1. *Epist.* IX.
2. *Epist.* X.
3. *Epist.* IX.

simum suæ inservirent ambitioni, his ardeliones abusi sunt. Interea Clemens hypodiaconus Romam ierat ut urbis clero, cum Fabiani morte vacua pontificum sedes esset (nam ab electione fideles prohibebantur gravi temporum irruente procella), ut Cypriani secessum quo multi fuerant offensi et libellaticorum obstinationem declararet. Litteris a clero traditis quibus et nuntiabatur Fabiani mors clarissima et de lapsis habebatur quæstio, renavigavit Clemens animos inventurus maxima in perturbatione versatos. Enimvero, ineunte ætate, febrimque, ut illis in regionibus assolet, solis calore adducente, lapsi non ii modo qui æstu jactati atque ægrotantes periculose in gratiam cum episcopo redire jure ac merito exoptabant quin æquas peccatis pœnas darent, sed illi etiam qui plene valentes, rebus usi, ante noxæ expiationem, libellorum virtute quos a martyribus acceperant, locum inter fideles obtinere atque in pristinæ dignitatis gradum restitui sine ulla mora a presbyteris postulabant, efflagitabant. Lucianus vero quidam sacerdos qui rebus novis studebat quique factionis tenebat principatum, projecta Cypriani auctoritate atque majorum disciplina fracta, lapsos in integrum contendebat restituendos. Itaque de his plurimas a Cypriano scriptas epistolas habemus quibus tantum moribundis vel iis qui post defectionem publicum de fide testimonium perhibuissent, pacem tribuendam esse dicit; cæteris vero, postquam pacificatæ res fuerint, ut fas et jura volunt, esse consulendum a

semetipso significat. Hinc Felix presbyter ejusque conjux Victoria, et Lucius qui confiscati erant, atque Bona mulier « quæ tracta est a marito ad sacrificandum, quæ conscientia non commisit, sed quia tenentes manus ejus sacrificaverunt, cœpit dicere contra : Non feci, vos fecistis », omnes et exsilio patria pulsi et bonis spoliati, Cypriani Caldoniique sententia pristina jura recuperarunt[1]. Attamen Luciano ejusque sectatoribus urgentibus, ad Cyprianum hæc scripserant confessores : « Universi confessores Cypriano papæ salutem. Scias nos universis de quibus apud te ratio constiterit quid post commissum egerint, dedisse pacem, et hanc formam per te et aliis episcopis innotescere voluimus : optamus te cum sanctis martyribus pacem habere. Præsente de clero et exorcista et lectore, Lucianus scripsit[2]. » Cum vero martyrum libellorum, ante pacem, nullam rationem habendam esse indicasset Carthaginiensis episcopus, in Ecclesia turbata sunt omnia. Civis enim unus e Carthaginiensibus, opibus præpotens, christianus, sed magnis vitiis laborans, Felicissimus nomine, cum Cyprianus quosdam e clero misisset qui fratrum manu inopiam levarent, seditiosorum hominum choro stipatus omnes a munere, subsidio egestatis, prohibuit. Qui omnesque ejus fautores in monte recepti, unde vocati sunt *montenses*, in episcopum conjurarunt. Inter eos potissimum habebantur Augendus, Repostus,

1. *Epist.* XVIII et XIX.
2. *Epist.* XVI.

Irene, Paula sarcinatrix, Sophronius, budinariusque Soliassus[1]. A communione vero exclusi, plurimos trahunt in partes suas, factionisque principem ipsum diaconum sibi imponunt.

Jam, ut dictum est, schismate delectabantur Afri, qui a diligenti rerum consideratione abhorrentes, fervidi autem, ac paratioris iræ homines, conjurationem facere, tumultuari, turbas concire assueverant. Dum Græcos, contentionis cupidissimos, torquet verbi controversia[2], nihil illis est antiquius quam discordiam in populum injicere atque homines contraria in studia diducere. Quæ mobili atque acri Numidarum placebant ingenio, eadem mulcebant Christianorum animos; jampridem erat cognitum genus illud novarum rerum avidum[3].

Interea tantis circumventus difficultatibus, patria exsul, inter infinitum laborem, *dominicam orationem* suavissimis gravissimisque explanabat verbis; adeo res quæ languorem affert multis Cypriano acuebat, solitudo! Quæ Adrumetanis monachis legit Augustinus ut ii « quibus recte vivimus » mores didicerint[4]. Profecto, locum potissimum obtinet liber ille tum rerum auctoritate, tum liberi arbitrii ac gratiæ expositione[5]. Cum vero in molestiis acerbissimis atque turbulentissimis tempestatibus Christia-

1. *Epist.* XXXIX, *inter Cypr. Opera.*
2. Tullius, *de Oratore*, I, XI.
3. Sallust., *Jugurth.*, XLVI.
4. *Ad Valerianum.*
5. Conf. Ceillier, t. III, p. 41.

nos viros versatos, cum in eos vehementissime invectos tum magistratus, tum, ut solet apud populos humanitate etiam politissimos, plebem omnem, uno fere consensu commotam atque incitatam, cogitatione lector sibi proponit, animi serenitate splendentem sermonem audire non potest dedignari. « Pacificos et concordes atque unanimes esse in domo sua Deus præcipit, et quales fecit nos secunda nativitate, tales vult renatos perseverare, ut qui filii Dei esse cœpimus in Dei pace maneamus, et quibus spiritus unus est, unus sit et animus et sensus. Sacrificium Deo majus est pax nostra et fraterna concordia. » Cogitantibus vero nobis ac memoria repetentibus ætates, illis in locis quibus Carthaginienses commercium suum exercebant, quæ agitabant sexcenta vitia, quæ demum atra tempestate obruenda erant, hunc animi placidum ardorem assequi, hanc mentis vitam intueri, id mirum esse ac gratum spectaculum videtur. Quis enim est qui inter vastam horrendamque solitudinem errabundus, viretis amœnis et dulcibus fontibus irriguis non detineretur? Quis est qui in mortalium malis artibus versatus, falsis civitatum gaudiis immistus, identidem hominum cumulata virtute præditorum societatis imaginem considerando occupatus, jucundissima delectamenta nequaquam reperiret?

Per id tempus tumultus fautores Cypriani dicta contemnere, Luciani virtutes extollere laudibus; omnibus modis pro alieno delicto sua quasi pro gloria

nitebantur. Inter seditiosos primas ferunt presbyteri qui Thascii electioni obstiterant; sed ex omnibus maxime Novatus, homo factiosus, impiger, avidus potentiæ, perditissimus, cæterum vitia sua callide occultans. Is postquam videt populum novis studentem, sperans fore ut quidam, ut in tali re solet, partium principem immutare non recusarent, dummodo episcopus qui et rectus et severus nonnullos offenderet adversis ventis uteretur, rebellium gratiam aucupari, captare suffragium, imperium tandem affectare.

Itaque Felicissimum qui apud factiosos amplissima auctoritate fruebatur, diaconum instituit; deinde Romam petit unde amicos sibi acquirat. Tum, Fabiani martyris loco Ecclesiæ principatum obtinebat Cornelius, cujus electioni obvius erat quidam presbyter Novatianus, vir dominandi cupiditate flagrantissimus; cui Africanum Novatum natura conciliat. Uterque enim imperii cupidissimus, Romanam cathedram ille, Carthaginiensem alter appetens, necessitudine quadam et consuetudine inter se conjungi; mox Romæ et a Cornelio et a Cypriano multi promissis commoti abstrahuntur; tanta, maximis etiam in rerum asperitatibus, apud homines potentiæ honorumque contentio!

De his omnibus commonefactus, ad Cornelium scripsit Cyprianus legatosque designat qui clerum romanum de Novato cæterisque schismaticis ut res se haberet edocerent. At Fortunatus quidam, Carthaginiensis presbyter, a factiosis episcopatu decoratus,

Felicissimum cum litteris suis mittit, qui Cornelium adeat ejusque gratiam aucupetur. Primum, ut par erat, oratorem rejecit; post, cum plurimi in absentem criminatione uterentur, commovetur mendaciis ac minis atque ipsius etiam Cypriani silentio cujus litteræ nondum recitatæ fuerant; denique incertus erat quid consilii caperet. Itaque novis cum litteris clericum, quippe tantum a viris ecclesiasticis inter se commercium habere solebant episcopi, Romam festinanter admodum Cyprianus mittere. Sanctitate suâ fretus, inimicorum pravitate patefactâ, confisusque causæ, secundum jus fasque se episcopum comprobat. « Dico provocatus, dico dolens, dico compulsus, quando episcopus in locum defuncti substituitur, quando populi universi suffragio in pace deligitur, quando Dei auxilio in persecutione protegitur, collegis omnibus fideliter junctus, plebi suæ in episcopatu quadriennio jam probatus, in quiete serviens disciplinæ, in tempestate proscriptus, applicito et adjuncto episcopatus sui nomine, toties ad leonem petitus in circo, in amphitheatro dominicæ dignationis testimonio honoratus; his ipsis etiam diebus quibus has ad te litteras feci, ob sacrificia quæ edicto proposito celebrare populus jubebatur, clamore popularium ad leonem denuo postulatus in circo; cum talis, frater charissime, a quibusdam desperatis et perditis et extra Ecclesiam constitutis impugnari videtur, apparet quis impugnet[1]. » Minas vero qui-

1. *Epist.* XLIX, *ad Cornelium.*

bus more vere africano Romam perturbabant, negligendas esse monstrans, ingenii sui robore comprobato, his ad nimium facilem episcopum confirmabat: « Satis miratus sum cum animadvertissem te minis ac terroribus eorum qui venerant, aliquantum esse commotum. Quod si ita res est ut nequissimorum timeatur audacia, et quod mali jure atque æquitate non possunt, temeritate ac desperatione perficiant, actum est de episcopatûs vigore et de Ecclesiæ gubernandæ sublimi ac divina potestate; nec Christiani ultra aut durare aut esse jam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas atque insidias, pertimescamus. Nam et gentiles et Judæi minantur et hæretici, atque omnes quorum pectora et mentes diabolus obsedit, venenatam rabiem suam quotidie furiosa voce testantur. Non tamen idcirco cedendum est quia minantur; manere apud nos debet fidei robur immobile; et stabilis atque inconcussa virtus contra omnes incursus atque impetus oblatrantium fluctuum. » Quibus igitur confirmatus, iniit concilium in quo Novato cæterisque damnatis, post pœnam solummodo lapsis pacem tribuendam esse statutum fuit. Novatus eo tunc venit audaciæ ut in romanam sedem a suis evehi voluerit. Illius enim fortunæ ita auctæ atque exaggeratæ erant, ut multos terreret, multos a recta deduceret via. Carthaginem et legatos misit qui et episcopum et populum traherent in partes suas; sed cum ignominia ac dedecore repulsi, et in Africa et in alienis regionibus factionem per-

ditam funditusque eversam viderunt. Id autem plane mirum est in ea re quod Felicissimus qui severiorem putabat inimicum, sese cum Novato qui non tantum a lapsis pœnas exigebat, sed nunquam, ut olim Tertullianus, eis veniam tribuendam arbitrabatur, fœdus iniit. Sed pugnantia et loqui et agere cupidinis est.

Carthaginem regressus, cum paululum Ecclesia respiraret, Cyprianus concilium habuit. De lapsis actum est; qui pœnas dederunt, ii modo sacrorum facti fuerunt participes. Hujus vero cœtus cum Cornelio decretis communicatis, tum Felicissimi nimia et periculosa indulgentia, tum Novati summa severitas a plerisque rejici. Ad hoc tempus *de Lapsis* liber videtur pertinere; namque de rebus recenter pacificatis suis auctor congratulatur verbis animosad commovendos accommodatis : « Pax Ecclesiæ reddita est, et quod difficile nuper incredulis ac perfidis impossibile videbatur, ope atque ultione divina securitas nostra reparata est! In lætitiam mentes redeunt, et tempestate pressuræ ac nube discussa, tranquillitas ac serenitas refulserunt. » Deinde confessoribus adstantibus, exsilio, carcere, cruciatibus toleratis, de animi firmitate immensa elatus lætitia gratulari : « Quam vos læte sinu suo excipit mater Ecclesia de prœlio revertentes! quam beata, quam gaudens portas suas aperit, ut adunatis agminibus intretis de hoste prostrato tropæa referentes! Cum triumphantibus viris et feminæ veniunt, quæ cum

sæculo dimicantes, sexum quoque vicerunt. Veniunt et geminata militiæ suæ gloria virgines, et pueri annos suos virtutibus transeuntes[1]. » Tùm, iis qui magno fortique animo fuerant magnifice laudatis, tristis a tortoribus Ecclesiam depopulatam intuetur; atque a lacrymis temperare nequit, cum multorum defectionem reputat: « Doleo, exclamat incredibili affectus misericordia, doleo vobiscum, nec mihi ad leniendos dolores meos integritas propria et sanitas privata blanditur, quando plus pastor in gregis sui vulnere vulneratur. Cum singulis pectus meum copulo, mœroris et funeris pondera luctuosa participo. Cum plangentibus plango, cum deflentibus defleo, cum jacentibus jacere me credo. Jaculis illis grassantis inimici mea simul membra percussa sunt, sævientes gladii per mea viscera transierunt. Immunis et liber a persecutionis incursu fuisse non potest animus. In prostratis fratribus et me prostravit affectus[2]. » Attamen non suæ modo Ecclesiæ consulebat, sed toti rei christianæ; cum omnia tum Romæ tum Carthagine turbarent et Novatianus et Felicissimus, permultis de his hominibus litteris editis, librum etiam in quo *unitatem Ecclesiæ* comprobaret, vir invictus a labore componere statuit.

Cypriani vero et scripta et cura ad concordiam quam exoptabat, summopere profuerunt; quippe

1. *De Lapsis*, c. II.
2. *Ibid.*, c. IV.

Italis episcopis sese jungentes Africani, Cornelii partes aperte secuti sunt. Nec autem interit Novatiani auctoritas; et Felicissimus sui multos fautores habuit, conciliis licet sæpissime damnatos, qui continuis ab injuriis nunquam conquievere.

Ex quo, concilium convocari necesse erat. Cyprianus igitur ejusque ex africana Ecclesia collegæ, numero sexaginta, Carthaginem convenerunt qui disciplinam et oppugnatione et schismate perturbatam instaurarunt, et ea quæ delapsa fluxerant, severis legibus vinxere. Attamen brevissimam post pacem rursus instabat bellum; Decio enim sub anni CCLI fine mortuo, Gallus adversus christianos persecutionem redintegrabat. Quare Thibaritanos quos invisere in votis habuerat, rerum iniquitate detentus, ad fortem et magnum animum adhortatus est [1]. Jam vero Romæ primum flagrare et furere; Corneliusque cum Romanis multis, strenue descendere in arenam. Quem in exsilium pulsum magnificis extollit laudibus per litteras illi extorri quam primum redditas : « Cognovimus, inquit, frater charissime, fidei ac virtutis vestræ testimonia gloriosa, et confessionis vestræ honorem sic exsultanter accepimus, ut in meritis ac laudibus vestris nos quoque participes et socios computemus [2]. » Brevi autem elapso tempore, magna cum laude Cornelius pro fide vitam

1. *Epist.* LVI.
2. *Epist.* LVII, *ad Cornelium in exsilio.*

profudit, vir quo familiarissime usus est Cyprianus noster, quocum frequentes per litteras habuit commercium, quocum denique, Dei provisu, dies idem festus eum perpetua memoria conjungit. Lucius vero qui a Romanis in illius locum electus est, temporum invidia, intra paucos menses, et in exsilium actus et restitutus in Urbem, a collega suo Carthaginiensi litteras accepit. Ita, in durissimis tempestatibus, intercapedine nulla facta, romanos episcopos africanis uti fere incredibile videretur, nisi, monumentis edax vetustas pepercisset. Nonis autem Martis, martyrii palmam Lucio adepto, Stephanus Ecclesiæ clavum tenuit.

Verumtamen in africanos christianos sævissime agebat Demetrianus quem proconsulem vel proconsulis vicarium fuisse arbitrantur. Cujus immanitatis causa fuit incredibilis iste terror qui humanitatis sensum multis adimit. Enimvero quam latissime metum injiciebat pestilentia. Æthiopia ortum, Asiam atque Græciam invasit, incidit per urbem et Africam afflixit, duodecim annos imperio depopulato, malum insanabile [1]. Morbi apud Afros gravissimi et acerbissimi signa « quod corporis vires solutus in fluxum venter eviscerat, quod in faucium vulnera conceptus medullitus ignis exæstuat, quod assiduo vomitu intestina quatiuntur, quod oculi vi sanguinis inardescunt, quod quorumdam vel pedes vel aliquæ

1. Conf. Tillemont, *Hist. eccles.*, t. IV, p. 120.

membrorum partes contagio morbidæ putredinis amputantur, quod per jacturas et damna corporum prorumpente languore vel debilitatur incessus, vel auditus obruitur, vel cæcatur adspectus [1]. »

Suos igitur solaturus, eadem et christianis et ethnicis pestilentia affectis, alteros quidem divinarum rerum orbatos auxilio in desperationem adduci indicat, alteros vero spe futurorum allectos dicit nunquam mortem horrere. Deinde ut aurum igne virum malo spectari comprobat; ex quo, ante discrimen feroces, in periculo pavidi videntur : « Delicata jactatio est, cum periculum non est [2]. » Quod jure ac merito Senecæ illos versus in memoriam Baluzii revocat :

> O tumide, rerum dum secundarum status
> Extollit animos, timide, cum increpuit metus!

Cyprianum iisdem imaginibus quibus utitur Seneca, uti animadvertendum est : « Navis gubernator, inquit, in tempestate dinoscitur, in acie miles probatur; et arbor quæ alta radice fundata est, ventis incumbentibus non movetur [3]. » — « Gubernatorem, ait Seneca, in tempestate intelligas; et non est arbor solida nec fortis nisi in quam frequens ventus incursat; ipsa etiam vexatione constringitur et radices altius figit [4]. » Sed et recta ingenia sponte in ea

1. *De Mortalitate*, c. XIV.
2. *De Mortalitate*, XII.
3. *Id., ibid.*
4. *De Providentia*, IV.

incidunt quæ præbet natura rerum, cujus contemplatio est animorum naturale quasi pabulum. Quoddam forsan et felicius et magis vivum his Cyprianus addit, quippe qui hæc habeat : « Quando area fruges terit, ventos grana fortia et robusta contemnunt, inanes paleæ, flatu portante, rapiuntur. »

Pestilentia vero quæ Africæ flagrantissimo æstu ingravescebat, turbas excitavit populares ; et multorum turpis animi abjectio in aperto fuit. « Horrere omnes, inquit de re testis, fugere, vitare contagium, exponere suos impie : jacebant in tota civitate non jam corpora, sed cadavera plurimorum, et misericordiam in se transeuntium contemplatione sortis mutuæ flagitabant [1]. » In tam afflictis rebus, quos parum amat, mali eos accusare solet vulgus ; Judæis pestem nigram, jesuitis priorem *choleram* tribuit plebes, calamitatis impatiens. Theodosii ætate in Samaritanos ac Judæos collatæ sunt spurcissimæ tempestates ; morbus vero christianis tum assignatur. Suos igitur innocuos comprobaturus, ad Demetrianum Cyprianus scripsit. Non pestem modo conqueri, sed, hominum perpetuo more, ad fruges negare idoneam tempestatem esse. « Non hyeme nutriendis seminibus tanta imbrium copia est, non frugibus æstate torrendis solis tanta flagrantia est, nec sic vernante temperie sata læta sunt, nec adeo arboreis fœtibus autumna fœcunda sunt [2]. » Non omnem

1. Pontius, IX.
2. *Ad Demetrianum*, III.

rem habes. « Minus de effossis et fatigatis montibus eruuntur marmorum crustæ, minus argenti et auri opes suggerunt exhausta jam metalla. » Quæ quum essent Afrorum fortunæ potissimi fontes, pestilentia et exasperata, ingravescebant querelæ, ira, plebis efferventis æstus. Imitatus autem tum Tertullianum tum Minucium Felicem forti magnoque animo calamitatum causam non Christianos, sed Ethnicos esse declarat. « Indignari se Deus dicit et irasci, quod agnitio Dei non sit in terris. » Etenim cum Deus homini os sublime dederit, cum ad cœli quasi domicilii pristini excitaverit conspectum, multi ante simulacra captivum corpus incurvant; atque, dum terram spectant, omnibus corporis libidinibus inserviunt. Inde origo mali, inde justa cœli vindicta. Cum vero ab ægris summopere Ethnici abhorrerent ne contagione afficerentur, non scriptis modo, sed etiam factis vir optimus rei consuluit. Populo suo igitur persuasit ut non modo fidei domesticos sed etiam alienos sollicitaret; cuique varia fuerunt tributa munera quæ impigre omnes exsecuti sunt; qui in tanta paupertate erant ut dona dare nequirent, semetipsos offerebant « compensantes, ut jure inquit Pontius, proprio labore mercedem divitiis omnibus chariorem. »

Interea, Gallo a militibus suis necato, Æmilianum imperatorem interfectores fecerunt, qui, quarto mense post ejus necem, cædem cæde accumulantes, recentem principem trucidarunt; jamque omnium consensu Valerianus arripuit imperium. Quo primum

æquo usi, deinde omni diritate atque immanitate teterrimum christiani habuerunt. Sed, cum in pace versata fuisset, tum intestinæ contentiones et in primis *de Rebaptizantibus* disputationes de quibus diffuse dicemus, rem Ecclesiasticam vehementer conturbarant. Valeriano igitur, circa CCLVI annum, sese quam sævissimum præbente, ut magnum ac fortem haberent animum suos Cyprianus hortari. Multis ergo e sacris codicibus locis rei consentaneis accurate collectis, librum composuit quo « milites Christi ad cœleste et spiritale certamen animaret [1]. » Non sane verba sua suis tradit, sed « capitula dominica subnectit » quibus quisque suam vestem conficeret. « De Agno, inquit, per quem redempti ac vivificati sumus, lanam ipsam et purpuram misi; quam cum acceperis, tunicam tibi pro voluntate conficies [2]. »

Attamen cum edixisset imperator ne quis christianam fidem iniret, Carthaginiensis episcopus, Paterno proconsule, Valeriano quartum imperante [3], prior comprehensus, *in secretarium* deductus est. Ad quem vero magistratus his usus vocibus : « Sacratissimi imperatores Valerianus et Gallienus litteras ad me dare dignati sunt, quibus præceperunt eos qui romanam religionem non colunt, debere romanas cærimonias recognoscere. Exquisivi ergo de nomine tuo. Quid mihi respondes? » Proconsuli vero qui so-

1. *De Exhortatione martyrii*, præf., I.
2. *De Exhortatione martyrii*, præf., III.
3. Anno CCLVII.

lertissime tantum imperii ritus nominabat ac de diis tacebat omnino, aperte respondit ille : « Christianus sum et episcopus. Nullos alios deos novi nisi unum et verum Deum, qui fecit cœlum et terram, mare et quæ sunt in eis omnia. Huic Deo nos Christiani deservimus ; hunc deprecamur diebus ac noctibus, pro nobis et pro omnibus hominibus et pro incolumitate ipsorum imperatorum. » Instante quidem magistratu, martyr autem in sententia permansit. Tum ab eo presbyterorum Carthaginiensium nomina rogatus, ille dicere animosus : « Legibus vestris bene atque utiliter censuistis, delatores non esse. Itaque detegi et deferri a me non possunt. » Urgente illo ut eos declaret, « cum disciplina prohibeat, vir inquit nobilis ac mœstus, ut quis se ultro offerat, et tuæ quoque censuræ hoc displiceat, nec offerre se ipsi possunt, sed a te exquisiti invenientur [1]. » — Denique mulctatus exsilio, ad Curubim profectus est, comite ac socio Pontio diacono qui vitam Cypriani scripsit. Provinciæ vero proconsularis, inter Neapolim et Horream, illud liberum a Plinio oppidum dicitur. A Pontio locum jucundum atque amœnum fuisse accipimus, quo secreto et satis ad habitandum commodo usus est [2]. Christianorum hic et civium salutationi se dabat qui in extorrem officia cumulabant, quorumque ejus janua quotidie frequentia celebrabatur. Cum

1. *Acta S. Cypriani ap. Ruinart.*, p. 188.

2. Vid. Shaw, t. I, p. 203. de Curubis situ. Hodie *Gurbah* dicitur. *Marcus*, p. 300.

vero proconsul in multos sæviret, eosque, juxta consuetudinem jam veterem, ad metalla damnasset, ad illos martyres scripsit Cyprianus ut fratrum vicem doleret. Cujus ex litteris ærumnas quibus premebantur confessores cognoscimus. Fustibus primum cæsi, pretiosisque suppellectilibus exspoliati, vincti constrictique, servi deinde metallici computabantur. Durissimam sub terra vitam agebant. Nullus lectus, nulla lavatio qua sæpissime Africani utuntur, exiguus panis, tenuis vestis, semitonsum denique caput [1]. Thascium vero qui et scientia et dignitate et divitiis inter urbis principes numeratus fuerat, omnes in præcipuo honore habebant. Quamvis in exsilium pulsus, liber tamen ac civis romanus, nunquam servilibus operibus addictus est.

Hoc interim spatio, Paternum in proconsulatu consecutus fuit Galerius Maximus, qui Cyprianum ab exsilio reduxit. Sed et in hortis quos venditos recuperarat, quasi libera in custodia ille manere jussus est. Fortasse egregii hujus ac optimi viri auctoritate, disciplina, ingenio ipso commotus, hac urbanitate exquisitissima magistratus romanus fore ut firmissimum animum molliret, rectissimum flecteret sperabat. Ita, quia per litteras cum suis colloqui poterat, idcirco Romam legatos misit qui de re christiana inquirerent. Cui renuntiatum est Xystum in *cœmeteriis animadversum* fuisse, maximamque in

1. *Epist.* LXXVII. — Conf. *Epist.* LXXXVIII.

Christianos adhiberi severitatem [1]. Galerius tamen qui, Uticam collatus, Christianorum stragem fecerat, valetudinis causa, æstu fervente, in Carthaginis quoddam suburbium, quod *Sextum* vocabant, sese recipit. Multi tamen viri amplissimi et homines clarissimi tum genere tum ordine secessum episcopo suadere; ille autem « jam mundum, suspensa ad cœlum mente, neglexerat, nec suadelis blandientibus annuebat [2]. » — Ideoque Christi promissis recreatus, quotidie fore ut ad se venirent lictores sperabat [3].

Idibus igitur septembris, anno CCLXI, Fusco et Basso coss., « repente venerunt ad eum principes duo, unus strator officii Galerii maximi, et alius equistrator a custodiis ejusdem officii qui et in curriculum eum levaverunt, in medioque posuerunt et *in Sexti* perduxerunt. » Neque vero eo die tribunal adiit proconsul, sed rem in crastinum distulit. Thascius tamen in proximo a statore exceptus est hospitio. Quæ ut fama et auditione vulgus accipit, ad illum undique concurritur. Quia sese frequentissimus effundit populus, puellis ante ædes pernoctantibus ut viri egregie fideles consulant, jussit. Postero die, hominum magna frequentia circumdatus, prætorium petit. De reo quæstionem magistratus habere. » Tu es, inquit, Thascius Cyprianus. » Responso dato, « tu, ait, papam te sacrilegæ mentis hominibus

1. *Epist.* LXXXII.
2. Pontius, XIV.
3. *Acta Cyprian.*

præbuisti. » Deinde a Thascio cærimoniari jubet. Quod cum negaret, concilio habito ut mos erat romanis præsidibus, hæc habuit Galerius Maximus : « Diu sacrilega mente vixisti, et plurimos nefariæ tibi conspirationis homines aggregasti, et inimicum te diis romanis et sacris legibus constituisti, nec te pii et sacratissimi principes Valerianus et Gallienus Augusti, et Valerianus nobilissimus Cæsar, ad sectam cærimoniarum suarum revocare potuerunt. Et ideo, cum sis nequissimorum criminum auctor et signifer deprehensus, eris ipse documento his quos scelere tuo tecum aggregasti ; sanguine tuo sancietur disciplina. » Quibus dictis, sententiam ex tabula recitavit : *Thascium Cyprianum gladio animadverti placet.* Cui vero martyr : « Deo gratias [1]. »

Continuo, magna circumfusus multitudine armatisque circumseptus, ad Sextum agrum mactandus deducitur. Aream vero circumsistere peditum ingens globus ; plurimi in arbores ascendere. Tum Thascius Cyprianus medium in campum progressus, rufa exutus lacerna, capite inclinato genibusque flexis Deum precari [2] ; deinde, dalmatica posita quam diaconi receperunt, carnificem exspectavit ; qui cum adfuit, viginti quinque aureos ei jussit martyr dari. Caput tandem sibi obduxit vitta quam diaconus atque hypodiaconus ligarunt ; post, sanctissimus et fortissimus vir securi percussus est.

1. Acta. — Pontius.

2. Pristino martyrum more ; conf. de Polycarpo Smyrn. eccl. epist., XIV et XV, αὐτοῦ πληρώσαντος τὴν εὐχήν.

Jacuit vero omnium in conspectu corpus quamdiu luxit. Multa demum nocte, Christiani « cum cereis et scholacibus [1], ad areas Macrobii Candidiani procuratoris, quæ sunt in via Mappaliensi [2], juxta piscinas [3] » episcopi gloriose interempti corpus deduxerunt.

At, post Cypriani necem, nondum quiete Africa christiana fruita est; etenim, Galerio proconsule paulo post mortuo, ejus vice procurator Cæsaris designatus sese multo fidelium sanguine cruentavit. Quare qui magni Cypriani in locum successit Carpophorus, non statim post illius supplicium potuit eligi; sed non proconsularis modo provincia sed etiam Numidia cruore redundavit. Attamen Cypriani memoriam summis honoribus Afri prosequebantur, festaque agebant quæ illi *Cyprianea* vocabant; atque, pacata Ecclesia, amplissima duo templa illi exædificarunt [4]. Alterum, ad sextum ab urbe lapidem, ubi truncatus est capite, fuit exstructum. Cum ad populum de martyre ipso sermonem haberet Augustinus, hæc habuit: « In eo loco ubi posuit carnis exuvias, sæva tunc multitudo convenerat, quæ propter odium Christi sanguinem funderet Cypriani, ibi hodie venerans mul-

1. *Baronius* scholas cleri cum cereis signari putat; at jure *Du Cange* scholaces funalia esse arbitratur.

2. *Magalia* seu *Mapalia*, ædificia Numidorum agrestium « oblonga, incurvis tecta lateribus, quasi navium carina, » multis et viis et fundis vocabulum suum apud Afros imposuere.

3. Acta, III.

4. Victor Vitensis, I, 5, p. 8.

titudo concurrit, quæ propter natalem Cypriani bibit sanguinem Christi. » Illic aram statuere Afri ; « sicut nostis, inquit idem Augustinus, quicumque Carthaginem nostis, in eodem loco mensa Dei constructa est, et tamen *mensa* dicitur *Cypriani*, non quia ibi unquam Cyprianus est epulatus, sed quia ibi est immolatus, et quia ipsa immolatione sua paravit hanc mensam non in qua pascat sive pascatur, sed in qua sacrificium Deo cui et ipse oblatus est offeratur [1]. » De quorum uno hæc habet Gregorius Turonensis noster : « Ex uno lapide marmoris *analogia* sculpta asseritur, id est mensa desuper, ad quam per quatuor gradus ascenditur, cancelli in circuitu, subter columnæ, quia et pulpitum habet sub quo octo personæ recipi possunt [2]. »

Altera autem basilica, ad decimum ab urbe lapidem, in via Mappaliensi, eâ in areâ quæ martyris corpus exceperat, positum erat. — Ex illis una a Vandalis fuit fœdata. A Belisario autem maximo Africa recuperata, cum in splendorem pristinum res Justinianus restitueret, Ecclesiam eam catholicis reddidit [3]. Præterea, mari proximum, beato Cypriano sacrum sacellum seu *memoria* visebatur, in quo Monica, orando et flendo, noctem peregit qua profectus est Augustinus [4].

Martyris vero corpus, rursus a barbaris Africa

1. Augustinus, *Serm.* 310.
2. Gregorius Turon., de *Gloria martyr.*, lib. 1, c. 94.
3. Procop., *de Bello Vand.*, II.
4. Confess., V, 8.

devastata, « legati Caroli ab Aaron amira seu rege Persarum redeuntes, inter cætera ad Carolum detulerunt in Franciam[1]. » Hujusce *translationis* multi meminere inter quos Ado et Beda[2]. Lugduni deposita primum reliqua ista, deinde in Compendii monasterium novum transtulisse Carolum Calvum Ado declarat. At magnopere de re illa ambigitur, quippe quum Cypriani sibi corpus illud sacrum plurimæ Ecclesiæ vindicent. Instrumenta sane, ut a Marloto[3] edita, Ruinartius laudavit; sed apud Marlotum nihil de his inveni. Quidquid sit, Agobardus qui nono sæculo Lugdunensis ecclesiæ sedem tenuit, cujus opera Parisiis anno MDCV edidit primum Massonus, vir et pietate et scientia clarus, quædam de *translatione* carmina conscripsit. Hujusce episcopi meminit Ludovici et Lotharii epistola concilio parisiensi præfixa, anno DCCC XXIX, apud Baluzium. Attamen ea sunt Agobardi carmina :

Rector magnificus piusque princeps,
Augusto Carolus decore fultus,
Sceptrum nobile Francorum regebat,
Subjectos populos pie gubernans.
Lectos æquora jusserat secare,
Ac jam propitio sibi Tonante,
Post multos nimiæ viæ labores,

1. Chronicon S. Bertini, apud Martenium ac Durandum, *Thesaurus Anecdotorum*, t. III, p. 500.

2. Conf. Bolland., t. IV, septembr.; Ruinart., *ad Acta S. Cypriani*; Tillemont, t. IV, *Hist. eccles*; D. Ceillier, t. III, et *Vita Cypriani* a D. Gervasio. — Videsis præterea Galliam Christianam, *ad Lugdun. diœces.*

3. *Metropol. Remens.*, t. I.

Ingressu reduci solum petentes,
Intrarunt Libycos repente fines,
Qua Carthago, gravi jacens ruina,
Deflet præteritæ decus juventæ.
Hic dum basilicas Deo dicatas
Et Christi subeunt veneranda templa,
Cernunt ut tua, Cypriane martyr,
Servaret loculus neglectus ossa.
Tum vero nimio dolore moti,
Et magno gemitu polum intuentes,
Poscunt auxilium Dei perennis,
Pro quo, sancte, tibi caput recisum est.
Et mox poplitibus precando flexis,
Pandunt sarcophagum, studentque sacros
Artus stringere linteis paratis,
Committuntque sacro corpus locello.
Necnon Pantaleonis [1] ossa raptim
Tollunt cuncta simul, ligantque pannis.
Conscendunt celeres ratem paratam,
Nec sævi metuunt pericla ponti.
Egressis Arelas opima portu
Occurrit placido, sinuque læto
Fessos excipit, ac fovet benigne.
Hæc mox cum audiit optimus sacerdos,
Lugduni placidam tenens cathedram,
Sanctorum eximio calore flagrans
Intendensque sacris ubique rebus,
Ledradus [2] specimen decusque cleri,
Orat, postulat, impetratque raptim
Ut sanctissima martyrum piorum
Nostris mœnibus ossa conderentur,
Lugduni ad placidam Joannis aram [3],
Qui Christum vitrea rigavit unda.
Illic cum sociis honore claro
Florens, inclyte Cypriane, dormis [4].

1. S. Pantaleonis ecclesiam vetustate labentem restituit Justinianus. Procop., *de Ædificiis*, I.
2. De Ledrado, isto confer. *Gall. Christ. Lugd. diœc.*
3. Lugduni cathedralis Ecclesiæ.
4. Patrologiæ Migne t. CIV, p. 350.

Ejusdem Ecclesiæ Lugdunensis poeta, diaconus Florus, his verbis istorum meminit :

Hic nempe insignis doctor suavissimus ore,
Eximius præsul, martyr celeberrimus idem,
Lucifer ut nitidus, magna Carthagine missus,
Emicat, et pulchra Cyprianus sorte quiescit. . .
Quos pariter [1] Carolo Francorum principe gaudens,
Gallia suscepit, Libycis ditata talentis [2].

1. Cum S. Pantaleone.
2. Apud Mabillonium, *Veterum Analectorum*, t. I, p. 407.

CAPUT TERTIUM.

Exponitur Cypriani et doctrina et scribendi ratio.

Adversorum ventorum vi agitatus, sævi atque importuosi fluctibus maris jactatus, nunquam ille ad quietum metaphysicæ studium se conferre potuit; vitæ vero institutis pastor ac rector navavit operam. Si tamen fidei defendendæ aliquando provinciam suscipit, periculo instante, tum Minucii Felicis aut Tertulliani vestigiis insistens prœlia conserit. In medium rerum certamen conjectus ac discrimen, semper quod urget agit, et ad utilissima quæque festinat. Ingenium profecto mere Africanum, a græcorum patrum subtilitate remotissimum, a tranquillo disputandi genere quum prorsus abhorreat, in usu, in actu, in disciplina totum est [1]. Ille profecto ut cum hoste pugnet tantum et scribit et dicit; sola necessitate coactus prodit in publicum, ita egregio vitæ documento dato cum efficaci facundia summæ auctoritatis. Cum vero in commune consulat, quæ de officiis tradita ab apostolis et præcepta sunt imprimis inves-

1. *Totus in exhortatione virtutum, occupatus persecutionum angustiis.* Hieronym., *Epist.* XLIX, ad Paul.

tigat. Nos igitur ex illius fonte quantum videbitur hauriemus; ea scilicet quæ ad bene vivendum spectant, quæ mores declarant et usus, attingemus, quippe quæ et hominum mentes ostendant, nec jucunditate careant et utilitate.

Cum igitur floreret Ethnicorum religio, præsertim superstitionibus infinitis abundabant scenica spectacula; hinc licet curarum mole obruti, qui inter christianos vitæ viam monstrabant, suos a scena deterrere nunquam omnino neglexerunt. Nihil sane tunc temporis perditius, nihil bonis artibus quod majus damnum afferret, quam theatrum quod ludibrio honestissima quæque vertebat, in quo totam actores deridendam propinabant familiam, parentes, conjuges, liberos. Quamobrem qui e nostris de optima instituenda vita disserebant, quia numinum cultu memoriaque replebantur spectacula, ideo jam suis interdicerent necesse erat; animos vero bonis moribus imbuturi, de tali re transigere nulla ratione poterant. Ex quo fit ut Cyprianus qui vetat ne quis theatrum superstitionibus infectum ineat, inde et animos declaret depravari. Ut Seneca philosophus, per scenæ voluptatem dicit vitia facilius subrepere [1], ut Ovidius poeta, casti damna pudoris spectacula illa vocat, ut Tullius, ab histrionibus ad malam domesticam disciplinam vitamque umbratilem et delicatam viros adduci arbitratur [2]. Jam asper ac fortis

1. *Ad Lucilium*, VII.
2. *Tuscul.* II,4.

Tertullianus, postquam in eis omnia veterem cultum olere comprobavit, theatrum nominat privatum impudicitiæ consortium. Quod domi declinant honesti viri, illic agi, quod loqui horrent, illic audiri tradit. Hominum vero mentem altius introspiciens, conscientiæ sinus recessusque omnes persecutus, spectaculorum illecebras Cyprianus constare in eo potissimum profitetur quod, inviti etiam, vetitorum aspectu delectamur. Adeo enim naturæ hominum insita est nequitia ut pessimis honestissimus quisque, modo summa arte perfecta sint, gaudendi apud se cupidine commoveatur! Omnes igitur qui de bona vita disputant, tum christiani, tum et ipsi philosophi, Seneca, Tertullianus, Cyprianus, Bossuetius, Russeavius Genevensis, scenam virtuti inimicissimam esse sentiunt[1].

Itaque tum in Epistola ad Donatum, tum in libro de Spectaculis qui ei a pluribus tribuitur, in scenam induci depingit Cyprianus parentes stolidos, patres familias nequiores, sordidos parasitos, mulieres impuras, a quibus animi gravissime afficiuntur. « Pudet, inquit, pudet referre quæ dicuntur, pudet accusare quæ fiunt, argumentorum strophas, adulterorum fallacias, mulierum impudicitias, scurriles jocos. » Ex quo fit ut ante omnes vir maxima præ-

1. Conf. De la Tour, *Réflexions morales, politiques, historiques et littéraires sur le théâtre*, 7 vol. in-12, 1763-1774; Desprez de Boissy, *Lettres sur les spectacles avec l'histoire des ouvrages pour et contre les spectacles*, 2 vol. in-12, Paris, 1780.

ditus innocentia et integritate, annis simplicibus nondum remotus, qui se suamet sanctitate tueri posse confidit, in majus honestatis discrimen veniat[1]. « Quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, de spectaculo revertitur impudica; virgo quæ pudica venerat, impudica discedit[2]. » Quam intus atque intra cutem præceptores illi christiani hominem intuentur! Quam nobis diffidunt! Vehementius quidem, caste vero minus his sententiam verbis Salvianus promit : « In illis imaginibus fornicationis omnis plebs animo fornicatur; et qui forte ad spectaculum puri venerant, a theatro adulteri revertuntur[3]. » Jam Seneca qui salubri dictione elegantioribusque verbis utitur, æqui autem non semper servantissimus eadem scenæ romanæ exprobrare solitus erat : « Nunquam, inquit, mores quos extuli refero; aliquid ex his quæ fugavi redit[4]. »

Illumne *de Spectaculis* librum inter certæ fidei scripta ita inconsulte referre possumus? Nonne discrepent sententiæ ? Fateor equidem; animis pendent Baluzius et Tillemontius; inficias eunt Celliarius Maranusque, uterque benedictinorum ordini cooptatus; majori parti, Baronio, Bellarmino, Pamelio, Sirmondo placere videtur opus illud ingeniose factum non inconsulte a Cypriani chartis sejungi debere. Mihi vero quid sentiam ingenue dicere liceat.

1. Conf. Nicole, *Essais de morale*, t. X, p. 342.
2. Cyprian., *Epist.* I, 8 et *de Habit. Virgin.*
3. Salvianus, VI, 3.
4. *Ad Lucilium*, VII

1° Hujusce libelli auctor haud Cypriano aliena lingua uti mihi videtur, quamvis secus Maranus censeat [1]. Exemplum afferre juvat : ut a ludis deterreat fideles, visu digna ille alia indicat spectacula. « Scripturis sacris incumbat christianus ; et ibi inveniet condigna fidei spectacula. Videbit instituentem Deum mundum suum, et cum cæteris animalibus hominis illam admirabilem fabricam melioremque facientem. Spectabit mundum in delictis suis, justa naufragia, piorum præmia impiorumque supplicia, maria populo siccata, et de petra rursus populo maria porrecta. Spectabit de cœlo descendentes messes, non ex aratro impressas, flumina transitus siccos refrænatis aquarum agminibus exhibentia. Videbit in quibusdam fidem cum igne luctantem, feras religione superatas et in mansuetudinem conversas. Intuebitur et animas ab ipsa etiam morte revocatas. Considerabit etiam de sepulchris admirabiles ipsorum consumptorum jam ad vitam corporum reductas, et in his omnibus majus videbit spectaculum, diabolum illum, qui totum DETRIUMPHAVERAT mundum, sub pedibus Christi jacentem. Quam hoc decorum spectaculum ! etc. » [2]

Hæc sane verba, hæ egregiæ imagines Cypriano nequaquam indignæ sunt. *Detriumphare* autem verbum quod usurpat, vocabulum est quo utuntur Afri,

1. *Vita S. Cypriani*, c. XXXV.
2. *Liber de Spect.*, c. X.

Tertullianus et Minutius Felix [1]. Ita DEPOMPARE sæpe in conciliis inest [2].

2° Epistolæ hujus exordium Cypriano mirum in modum congruit : « *Plebi* in evangelio *stanti* salutem. Ut me satis contristat et animum meum graviter affligit cum *nulla* mihi *scribendi* ad vos porrigitur *occasio* (detrimentum est enim meum vobiscum non colloqui), ita nihil mihi tantam lætitiam hilaritatemque restituit quam cum adest rursus occasio. » — Cypriani sane eodem sensu scriptæ sunt multæ epistolæ. Cf. epist. LXXXII, epist. V, et epist. XXIV. Nihilominus vir doctissimus Ceillarius hujusce epistolæ inscriptionem Cypriano minime consentaneam esse putat [3].

3° Cypriani ætati plane convenit. Etenim de idolis [4], de exorcismis crebris [5], de Eucharistia secum gestata loquitur. « Qui, inquit, festinans ad spectaculum, dimissus e *dominico* et adhuc gerens secum, ut assolet, Eucharistiam, inter corpora obscœna meretricum Christi sanctum corpus infidelis iste circumtulit, plus damnationis meritus de itinere quam de spectaculi voluptate [6]. »

1. Illos nunquam magis *detriumphamus* quam cum pro fidei obstinatione damnamur. Tertullian., *Apolog. Detriumphatos colere*, M. Felix.

2. Conf. Baluz., *Concil. novam collect.*, p. 716, 724.

3. *Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques*, t. III, p. 152.

4. C. II, IV, etc.

5. C. IV.

6. C. V.

4° Tertullianum denique imitatus est auctor, quippe qui conscripti ab eo *de Spectaculis* libri et sensus et verba ipsa sæpius consecutus sit; jam vero, ut probatum est, Tertulliano ille uti solet [1].

Nobis vero objiciet Ceillarius operis hujus memoriam nullam usurpasse Pontium diaconum; sed singulis Cypriani chartis haud studuit Pontius iste, utpote qui *Testimoniorum* sinceros libros omnino prætermiserit. Attamen hujusce libelli paucissimos codices superesse jure significat Baluzius [2].

Verumenimvero fervidissimæ regionis incolas, ruentis imperii cives, ingenia bellique et cruoris insane amantia non satis juvabat scenæ spectaculum. Ante omnia, gladiatoriæ commissiones, circus sanguine humano imbutus, Carthaginienses viros allicere, delectare, detinere. Quinetiam qui exanimi a corpore abhorrent, qui in plateis atque in viis homines compescunt, si quando manus conserant, ii, ait Tertullianus, « amphitheatro derosa et dissipata, et in suo sanguine squalentia corpora patientissimis oculis incumbunt [3]. » Qui igitur domi, qui in civitate in-

1. Conf. Tertullian., *de Spectaculis*, c. III et X, et libellum hunc, c. II, IV, etc.

2. Conf. Maran., t. I, et Migne, *Patrolog.*, t. III, p. LVII, qui multorum Cypriani tum manu scriptorum tum typis mandatorum codic. indicem dederunt. In Bibl. Cæsar. litteris uncialibus romanis exaratus liber asservatur (num. 712, suppl. lat., olim Sancti Germani, antea Coislin erat). Quem nimirum VII circiter sæculi esse in prima pagina Mabillonius ipse declaravit. Multi tamen ad V vel ad IV sæculum illum referendum esse arbitrantur. In eo haud habetur *Liber de Spectaculis*.

3. *De Spectaculis*, c. XXI.

dulgentia, urbanitate, lenioribus artibus utitur, honestissimus ac rectissimus paterfamilias, clemens matrona, mitis adolescentula, ii omnes, cum in amphitheatro sedent, moribus immutatis, sæviores quam qui unquam fuerint evadunt. Tum gladiatorum « ad homicidium compellunt mentes, » tum quemdam Christianum ad leonem petunt. Eo fere modo apud nos, medio superiori sæculo, mulieres lectissimæ quæ philosophorum chartas manu versabant et diurna et nocturna, quæ omni lepore abundabant ac venustate, quæ morum elegantia superbiebant, quibus ficta calamitas fletum eliciebat, illæ sontem infelici arbore jam suspensum spectantes singulari lætitia perfruebantur. Quid igitur? Jam miserorum ossa fracta, corpora imposita rotis, equis quadrifariam abactis hominem discerptum videre juvabat, quasi subdito animis quodam voluptatis stimulo. « Aspice, inquit et ille, aspice populum ad spectaculum jam cum furore venientem, jam tumultuosum, jam cæcum, jam de sponsionibus concitatum. » *Mappa* qua signum datur missa, « itur in furias et animos. » Itaque, inquit Tertullianus, cum furore interdicatur nobis, a circo auferimur, ubi proprie furor præsidet. Sed is hominum animus, ea mens! Quæ Romanos atque Afros summopere alliciebant; quæ a suis amovebant Tertullianus, Cyprianus, omnes Ecclesiæ patres, ad eadem trahebantur Feneloniique et Bossuetii auditores. Sæpius igitur post magnifica dicta, post Telemachi monachi egre-

gie factum, ut ait Cyprianus, *homo occisus est in hominis voluptatem;* sæpius, ut tristis jam canebat Hispanus Prudentius,

Observant hilarem de funere plebem.

Verumtamen neque crimen, neque facinus semper admittit, si quis scelerati hominis supplicium videre cupiat, si quis cruorem quasi sitiens expetat. At scenæ illius vere vivæ, tragœdiæ quæ non solum mortis imaginem exhibet, sed cruciatus corporis ipsos ipsamque insontis necem quasi ludum tradit, jam culpæ affinis est, spectator, quippe humano sanguine fruitur, jam mentis priorem amisit integritatem, jam, ut ait Cyprianus, oculis homicida est, jam de spectatore in adversarium vertitur.

Quam vero facile hujusmodi illecebris decipiamur divus Augustinus in Alipii exemplo nobis effingit [1]. Alipius enim iste, honestus adolescens, sese a circensibus omnino removerat. Sed Romæ, cum jus disceret, forte ei occurrerunt quidam de prandio redeuntes amici et condiscipuli qui familiari quadam violentia, vehementissime recusantem ac resistentem in amphitheatrum duxerunt. Quo quidem ubi ventum est, postquam sederunt, Alipius clausis oculis, quasi absens aderat. Repente autem populi clamore commotus, aperit oculos cadentemque quemdam gladiatorem conspicit. « Ut vidit sangui-

1. Conf. Saint-Marc Girardin, *de S. Augustini Confession. Revue des Deux-Mondes*, 15 aug. 1840. — Seneca, *de Ira*, 1, 2.

nem, immanitatem simul ebibit; et non avertit, sed fixit aspectum; et hauriebat furias et nesciebat; et delectabatur scelere certaminis, et cruenta voluptate inebriebatur. Quid plura? Spectavit, clamavit, exarsit; abstulit inde secum insaniam, qua stimularetur redire [1]. »

At hominum genus eo modo crudelitatem imo e pectore anhelans intueri, quam grave, quam acerbum videtur! Itaque ad minus molesta redire juvat. Potissima autem Christiani officia in patientia et in operibus contineri martyr docet. Primum enim, cum Ethnicos viros et decoris et humanitatis oblitos maxime ad iram pronos, promptos ad ultionem, ad nocendum proclives, in fideles sævissime agentes videret, doloris tolerantiam, veram patientiam, voluntatis denique humanæ divino cum arbitrio consensionem æstimaret ac prædicaret necesse erat. Nec dubium quin quassari ac fluctuare hominem in terra versatum oporteat; attamen, inquit Seneca, sæpe si ad nos ira venit, sæpius nos ad illam [2]; imo animi agitationem ac motum, semper licet tumentem, quodam modo sedare possumus. Jam æqualem esse rationem dixerat Seneca, iramque febrim inordinatam, nec quidquam magnum haberi nisi quod simul et placidum. Neque vero laudat tantum stabilem illam animi sedem quam Græci εὐθυμίαν vocant, tranquillitatem nimirum quâ « animus semper

1. S. August., *Confession.*, l. VI, c. 8.
2. *De Ira*, l. III, c. 12.

æquali secundoque cursu eat, propitiusque sibi sit, et sua lætus aspiciat [1]; » at quæ vim suam longe lateque diffundat, quæ in commune consulat, quæ, quantum potest, serviat proximo, hanc magnifice commendat. Male igitur ii patientes sunt qui hominum generi quasi renuntiantes, in se tantum conversi vivunt, qui liberali omni studio carentes, quibuslibet modis pecuniam trahunt, vexant, qui tandem pessime tempus dispensant quod illis consumendum natura rerum præbet. Ita jure Seneca Romanos illos opulentissimos irridere qui vitæ tædio capti *ædificia alia ponere*, *alia subvertere*, *et aquas contra difficultates ducere locorum* solebant. Eo et modo divus Cyprianus otiosorum civium vicem gemit qui dierum inutilius prodigi *in equis et in quadrigis* vitam agunt. Ætates sane et regiones licet longissime distent, semper hominum genus iisdem animi morbis, iisdem malis mentis gaudiis laborat, et ut Seneca et Cypriani tempestatibus, sunt multi qui, in rebus politissimis, tædio confecti horisque gravati in iisdem nugis et annos perdant et divitias profundant.

Seneca tamen præstantior esse Cyprianus videtur qui ex humilitate Christianam patientiam oriri indicat. Non igitur qui ex animi tranquillitate voluptatem exquisitissimam cupit haurire, qui autem sui despiciens alios maximi facit, qui mentis pace imprimis fruitur quod præsentibus rebus contentus est,

1. *De Tranquillitat. anim.*, II.

eum divus Cyprianus et vere et recte patientem existimat. Optimus igitur vir in omni eventu Dei provisum notat, et, cum in cœlo tutum esse portum humanæ vitæ putat, ideo ille « nihil appetere, nihil desiderare de sæculo. » Ex quo fit ut late pateat *patientiæ bonum* : « Ubertas ejus et largitas de unius quidem nominis fonte proficiscitur, sed, exundantibus venis, per multa gloriarum itinera diffunditur; nec proficere aliquid in actibus nostris potest ad consummandam laudem, nisi inde consummationis accipiat firmamentum. Patientia est quæ nos Deo et commendat et servat. Ipsa est quæ iram temperat, quæ linguam frenat, mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis exstinguit, coercet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet, tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in conjunctis et maritis individuam charitatem. Facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias et contumelias mites. Docet delinquentibus cito ignoscere; si ipse delinquas, diu et multum rogare. Tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones et martyria consummat[1]. » — Ante omnia notandum est in agendo totum esse Cyprianum; potissimum ut miseros et consilio et opere juvent ditiores præcipit. Illius tum scripta, tum epistolæ, tum acta animum charitate

1. *De bono patientiæ*, XX.

summopere commotum testantur. Imprimis ejus liber *de opere et de eleemosynis* quæ fuerunt viri sensus declarat. Nemo, inquit, « promereri misericordiam Domini poterit qui misericors ipse non fuerit, aut impetrabit de divina pietate aliquid in precibus qui ad precem pauperis non fuerit humanus. » — In carcere igitur detentos auxilio juvare, afflictos erigere, bonis artibus erudire parente orbatos, peregrinos excipere hospitio, solari viduas, rudes atque ignaros potissimum honestis imbuere moribus : hæc sunt quibus operam dent Christiani oportet. Neque vero inopia rerum necessariarum quisquam horreat conflictari, quippe quum nunquam « justo possint deesse subsidia vitæ. » Imo priorum consuetudinem præbet fidelium, domos, prædia, res quaslibet vendentium ut inter se rerum omnium communitate uterentur; Deumque inter homines æque dividentem bona, somnum sane et diem, solisque et lunæ splendorem exhibet, « quo æqualitatis exemplo qui possessor in terris redditus ac fructus suos cum fraternitate partitur, dum largitionibus gratuitis communis ac justus est, Dei patris imitator est[1]. »

At inter opera ista principem obtinet locum juxta Cyprianum *captivorum redemptio*. Sicut nunquam Ecclesia pauperibus bonorum prædicavit communitatem, dum ad beneficentiam divites hortabatur, ita

1. *De Opere et eleemosynis*, c. XXV.

non in prioribus sæculis servitutem solvit, sed ut suos in libertatem vindicarent heris suadebat. Namque a violentissimis rerum mutationibus abhorruit, cum meliora cuperet prudenti populorum ad virtutem gressu perfici. Quare, apud Afros, servos quibus forte potiebatur vindicta liberos facere clerus solebat; atque manumissionis exempla sæpissime apud sanctum Augustinum inveniuntur. Donati vero libertate, quarto sæculo, sacram disciplinam vulgo amplectebantur, inibantque monasterium, in quo benignè accipiebantur, sive inquit Augustinus, « ex proposito servitutis Dei venerint, an vitam inopem ac laboriosam fugientes, vacui pasci atque vestiri voluerint, et insuper honorari ab eis a quibus contemni consueverant. » Auctoritate potitus minori, Cyprianus tamen ad Africæ proconsulem Demetrianum verba hæc gravissima, æquales esse et heros et servos magnifice professus : « Ipse de servo tuo exigis servitutem, et homo hominem parere tibi et obedire compellis. Et cum sit vobis eadem sors nascendi, conditio una moriendi, corporum materia consimilis, animarum ratio communis, *æquali jure et pari lege* vel veniatur in istum mundum vel de mundo recedatur, tamen nisi tibi pro arbitrio tuo serviatur, nisi ad voluntatis obsequium pareatur, imperiosus et nimius servitutis exactor, flagellas, verberas, fame, siti, nuditate, ferro etiam frequenter et carcere affligis et crucias; et non agnoscis, miser, dominum Deum tuum, cum sic exerceas ipse domi-

natum [1]? » Hi erant igitur tunc temporis apud Romanos heri, sævitia teterrimi, alieni humanitate, et a patientia quidem valde abhorrentes. « Ideoque, inquit Macrobius, ad rabiem nos cogunt pervenire deliciæ, ut quidquid non ex voluntate respondet, iram furoremque evocet. Domi enim animos induimus tyrannorum; et non quantum decet, sed quantum libet, exercere volumus in servos. Nam, sunt qui, dum cætera crudelitatis genera præteream, cum se mensæ copiis et aviditate distendunt, circumstantibus servis movere labra ne in hoc quidem, ut loquantur, licere permittunt. Virga omne murmur compescitur; et ne fortuita quidem sine verberibus excepta sunt. Tussis, sternutamentum, singultus magno malo luitur [2]. » « Infelicibus, jam aiebat Seneca, servis movere labra ne in hoc quidem, ut loquantur licet; virga murmur omne compescitur; et ne fortuita quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternutamentum, singultus; magno malo ulla voce interpellatum silentium luitur; nocte tota jejuni mutique perstant [3]. »

Pone crucem servo. Meruit quo crimine servus
Supplicium? Quis testis adest, quis detulit? — Audi.
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.
O demens, ita servus homo est? Nil fecerit, esto.
Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas [4].

1. *Liber ad Demetrianum*, c. VIII.
2. *Saturnal.*, l. I, c. XI.
3. *Ad Lucilium*, XLVII. Conf. *de Ira*, II, 25, et *de Clem.* I, 18.
4. Juvenal. *Sat.* VI. V. 219.

Barbari vero qui montes et desertum incolunt, juxta consuetudinem, anno CCLIII, quum in Numidiam irrupissent, agros vastarunt, captivosque multos et imprimis puellas in servitutem abduxere. Ad Cyprianum ergo episcopi Numidæ miserunt legatos qui illi rem tam luctuosam denuntiarent. Misericordia commotus, Numidis sestertia centum millia dedit; namque Carthaginiensis Ecclesiæ tum populus tum clerus, collatione facta, multa præbuerant [1]. Imo, ad eos scribit cohortatus ut « nolint, si tale aliquid accidat, cunctari nuntiare hæc, pro certo habentes Ecclesiam Carthaginiensem libenter et largiter subsidia præstituram. » — Ita jam captivos suos in barbarorum manibus habebat Africa Christiana, ubi per tot annorum seriem servitute fideles oppressuri erant. Quod si vincula nostris imponerent, nunquam Ecclesia, charitatis oblita, ut suos in libertatem vindicaret, pecuniæ, curis, laboribus pepercit [2]. Quamobrem cum victrices Gallorum legiones Africæ parti cuidam et tranquillitatem et libertatem demum præbuere, animi erga beneficium grati templum posuerunt, quo memoria servitio exemptorum permaneret firmaque et stabilis.

Ex superioribus qui in optimis operibus istis æta-

1. Cypriani, *Epist.* LX.

2. Videsis inter multa *Voyages sur la Rédemption des captifs aux royaumes d'Alger et de Tunis, avec la tradition de l'Église pour le soulagement et le rachat des captifs.* Conf. et D. Pavy ac Prat, in *S. Joannis a Matha historia*, 1846. — *Africa illustr.*, 1622, *de Miseriis captivorum in regno Argilensi.*

tem consumebat, ei permultos invidisse accepimus. Inde et populares turbas excitarunt Carthaginienses quibus sane delectari soliti fuerunt. Verumtamen præter tumultum quem sacræ familiæ injecere schismatici viri, disputatio de rebaptizandis hæreticis omnia commovit. Qui Cyprianum præcessit, Agrippinus hæreticos ad Ecclesiam reduces denuo baptizandos esse arbitratus erat. Cum vero Lucii locum Stephanus occupavit, ne rebaptizarentur illi prohibuit. Sed meram ad disciplinam rem pertinere existimans, Stephani Cyprianus restitit auctoritati. Inde plura concilia, permultæ litteræ, studia contraria. Neque vero satis benignitate atque humanitate Carthaginiensis episcopus usus esse videtur, qui sententiam suam suæque Ecclesiæ consuetudinem acriter defendit [1]. Pontifex profecto romanus « nihil innovetur, nisi quod traditum est » præscribit, id est, si qua Ecclesia peculiarem opinionem sequatur, quod traditum est, quod generalis Ecclesia putat, id credat illa oportet [2]. Utut sit, Stephani sententia quæ pristinum et communem usum servat, jure ac merito vicit. Neque amplius fuerunt qui in Africâ rursus aqua tingendos esse christianos ad fidem catholicam redeuntes putarunt.

Verumtamen exorta illa inter eos contentio non justæ officit observantiæ qua romanorum pontificum

1. Conf. S. Aug., *de Baptis. contra Donat.*, l. V, c. 25.

2. Videsis Thomassini *Dissertationem ad synodos in causa baptismi hæreticorum collectas.*

auctoritatem atque dignitatem Carthaginiensis præsul prosequebatur. Etenim, nihil clarius, nihil apertius quam quæ de catholicæ consociationis fundamento scripsit. Cum igitur circa se videret motus et agitationem rerum, cum eos qui novis rebus studebant tum Romæ tum Carthagine conspiceret multos esse, principatum quo Christianorum societas firmatur atque regitur summis laudibus exornat. Supremo sane dominatu unius omnia tenenda sentit; nam Romanam sedem *ecclesiam principalem* nominat *unde unitas sacerdotalis exorta est*[1].

Unitatis autem tanto amore inflammatus fuit, ut pro ea cum schismaticis Africanis, Novatiano atque cæteris prœlia conseruerit. Inde illius liber qui *de unitate Ecclesiæ* inscribitur. Bossuetius sane noster, cum eidem operæ consuleret, præclarissimum atque amplissimum ad patres gallicanos habiturus sermonem, utpote qui in hominibus subtili venustate omni abundantibus atque in pacata republica versaretur, orationem lepore insignem, eruditione egregiam, lucido præfulgentem ordine, arte summa compactam, omni parte perfectam atque consummatam effinxit. Ille vero inter infinitas curas, in rei Christianæ procellis, urgente malo, nihil agere quod non instat; optimam tamen assecutus gloriam tum sententiarum gravitate, tum scientia humani ingenii, omnibus animorum motibus quos hominum generi rerum natura tribuit penitus pernotis.

1. *Epistola* LIV, c. XIV, *ad Cornelium.*

Eo igitur proposito scripsit ut Afrosque et Romanos a factionis principibus amoveret. Quia vero permulti unitatem ita dirimebant, idcirco et bibliorum sacrorum figuris, et ratione, et usu Ecclesiæ esse necessariam concordiam comprobat. Cum autem hujusce unius consociationis principium sit romani episcopi auctoritas, cum Christus super Petrum « ædificet Ecclesiam suam, et illi pascendas mandet oves suas », dicit jam corporis membrum non esse qui a capite Petro isto secedat, jam ovem non esse qui ab ejus stabulo abhorreat. Deinde, plurimis utitur imaginibus quas partim apud Gallicanæ Ecclesiæ oratorum principem reperire facillime est. — « Quomodo, inquit, solis multi radii, sed lumen unum; et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit; a fonte præcide rivum, præcisus arescit. Sic et Ecclesia Domini, luce perfusa per orbem totum radios suos extendit; unum tamen lumen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit; unum tamen caput est, et origo una, et una mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte

nutrimur, spiritu ejus animamur [1]. » — Ecclesiæ nimirum institutionem, disciplinam, distributionem plene explicaturus, episcopatus, inquit, unus est « cujus a singulis in solidum pars tenetur. » Ita et Ecclesia una est quæ « in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur [2]. » In utroque sane, in Bossuetio nostro egregio atque in Cypriano, qui tamen et cœlo et tempore longissime distant, idem studium, iidem sensus, eædem figuræ; in utroque eorumdem e sacris libris locorum prolationes. At hujus argumentis ac sententiis ille magnifice addidit, præstantissimus orator, amplissimam historiæ auctoritatem, atque sacrorum patrum seriem continentem, inter quos hic clarissime splendet.

Duæ vero res quæ ejus tum in doctrina, tum vita eminent, eædem eminent in dicendi ratione, prudentiam dico atque moderationem. Prioribus licet forsan in libris rhetoris artificium nimis appareat, alio quovis loco inaffectatam jucunditatem consequitur. Nescio tamen quo facto illius orationem inflatam fuisse dicit Fenelonius, quippe cum, ut antea dictum est, operosis in laboribus versatus hominibusque circumdatus inimicissimis, calamum tantummodo, re urgente, sumens, styli sinceri, simplicis, puri amantissimus esse videatur. Qui cum Tertulliano frequentissime uteretur, cum imprimis Afrorum ingenia delectarentur orationis ampullis, eo magis miror candi-

1. *De Unitate Ecclesiæ*, c. V.
2. *De Unitate Ecclesiæ*, c. V.

dum ipsi et inornatum scribendi genus semper placuisse. Sed vir temperatissimus in re omni immodica magnopere fugiebat. Rem sane præclaram! Nihil enim præstabilius est quam in eis in quibus nimii sunt et magistri et æquales sapientiam consequi, quam moderationem et affectibus et orationi adhibere. Quapropter, cum Fenelonius ad Demosthenis magnitudinem atque vehementiam accedere Cyprianum arbitratur, eum egregii Atheniensis oratoris simplicitatem Erasmus obtinere putat [1].

Hinc vir ille in omnibus litteris versatissimus qui, cum prius Cyprianum, ut ait, et carptim et oscitans legisset, huic Hieronymum prætulerat, deinde propius contemplatus, dubius fuit utrum utri anteponeret, adeo, inquit, suis uterque virtutibus summus videtur. Cum enim Hieronymus in risu pæne sit immodicus, subinde nimius in exspatiando, plurimum admiscens ex profanis studiis, propius ille accedit ad verum illud ac naturale dicendi genus, et longius ab ipsa declamationis abest umbra, magis ubique serius, ubique sincerior. Nihil enim in hoc reperiri potest « quod ad ostentationem ingenii videatur adscitum, aut quod ullo pacto Africam sapiat, quæ vitia non absunt Hieronymo. Talis ubique sermonis habitus est, ut loqui sentias vere christianum episcopum, ac martyrio destinatum [2]. » — Ita is antiqui-

1. Erasmus, *Præfatio ad Cypriani opera*, 1541. Fénelon, *Dialogue sur l'Éloquence.*

2. Erasmi *Præfat. ad Cyprian. opera.*

tatis utriusque et amantissimus et peritissimus, ita is emunctæ naris litterator, ipse et sermonem latinum sapiens, de Cypriani dotibus opinabatur. Atque homini ad rem intento, putantique Cypriani patriam et ætatem, illi profecto Erasmus æquus hujus æstimator ac judex fuisse videbitur. Divus enim martyr, cum pastorali studio ardeat, cum evangelica pietate, cum dignitate et fortitudine præstet, pietati ejus, dignitati, fortitudini respondet oratio! Ideoque, quum illum legis, dicis : Vivit, viget, quantum in eo animi! Quam vere jacentem animum excitat, atque inducit in spem cogitationemque meliorem!

Nihilominus, vocibus novis et Africanis non omnino vacat; atque, exempli gratia, *exambire*, non ambitu assequi, et *impugnationem* pro fuci usu dicit[1]. Sæpius vero Tullium paulum imitatus, rhetorum æquabile genus et nervosam linguam usurpat. At vero cum ille, et in litteris et in libris (quippe cum ab eo orationem nullam acceperimus, plurima licet pronuntiaverit), quæ ad humanitatem spectant studiis mentem intendit, tum animosus veram eloquentiam assequitur. Dignus ergo tum rerum auctoritate, tum præstantia sententiarum, tum denique scribendi laude, qui inter optimos ecclesiasticos doctores adscribatur; vere sapiens de rerum causis, de hominum vicibus, de officiis nostris, de temporis acerbitate, de spe futuri loquitur. Sæpe enim severus ac tristis intuetur

Luctantes ventos tempestatesque sonoras;

1. *De Habitu Virgin.*

atque malis quibus hominum genus abundat ingemit; interdum tamen, solatio repletus, Christianorum considerans virtutem, ardet, lætitia exsultat, gloriam ac felicitatem affectat. Non quin omnem illorum priorum martyrum ἐνθουσιασμόν habeat, quin Polycarpi aut Ignatii flagrantissimo inflammetur ardore, spe tamen commotus, imaginibus enitescit splendidissimis. Tum felicissima facilitate vivo gurgite exundat. Dum in Tertulliano, licet densus sit et argutus in sententiis, subinde lectorem offendunt multa perplexa atque impedita, ille verbis dilucidis uti solet. Hinc curæ plus in Tertulliano videtur fuisse, in hoc naturæ. Etenim barbaras quidem voces, insolitas, asperas unus usurpat, obviis alter ac de medio sumptis delectatur. Prior nimirum, quæ a communi usu hominum et consuetudine recedunt, hyperbolis abuti solet; hic figuras simplicissimas consequitur. Quapropter posterioris in operibus elaborare omnibus et jucundissimum et expeditissimum est, utpote quæ oriantur ex ingenio naturâ prompto; ille vero difficilis admodum aditu, quippe qui torrentis fragosi similis sit.

Verumtamen, Africa quæ sæpissime magno maris impetu pulsatur, cujus littora fœdissimis commoventur tempestatibus, quæ sole fervet igneo, et ad acerrima sonoraque verba et ad imagines tristissimas ac vehementissimas animos incitat, compellit, rapit. Itaque Cyprianus in oris illis versatus in quas sese maximo cum sonitu fluctus illidit, quandoque et ipse cum strepitu dicit, rerumque colorem inducit

dictis. Procellas igitur, naufragia crebris sermonibus usurpat, et quod magnopere exoptat, quod excogitat jucundissime, id sane est portum capere. Cum enim illi mundus perenni tempestate jactari videatur, ante omnia cupit ad terram appellere. « Si, inquit, navigante te, turbida et procellosa tempestas, fluctibus violentius excitatis, prænuntiaret naufragia, nonne portum velociter peteres[1]? » Ex eo quod animum conspicit vi rerum agitatum, ideo præcipit ut « vigilanter liberetur de periculosis navis, ne inter scopulos et saxa frangatur. » Quia omnes æque homines tum optimos tum pessimos ærumnis, miseriis pressos adspicit, exclamat ille : « Cum navem scopulosa saxa constringunt, navigantibus naufragium sine exceptione commune est[2]. » Incredibile enim est dictu quantum insanis fluctibus pulsatum littus, θῖνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης, Cypriani animus amet. Prioribus quidem poetis qui naturæ spectaculo summopere delectabantur, sæpissime inhorrescentis pelagi apparet tristissima imago. Illis tamen placet ejus mira quies, illis

Arrident taciti tranquilla silentia ponti.

Hic vero gravibus ac perpetuis curis agitatus, *gemitum ingentem pelagi* semper audit. Iisdem obvius oris, easdem animo cogitationes Augustinus agitat, eodem mœrore profligatur; si mare aspiciat, tum

1. *De Mortalitate*, XXV.
2. *De Mortalitate*, VIII.

ingemit hoc hominum genus *et profunde curiosum, et procellose tumidum, et instabiliter fluidum*[1]. Is tamen qui non tam importuosa tempestate utitur, interdum pelagus ventis placidum, dulce quidem et jucundum spectaculum, contemplatur[2]. Cyprianus autem qui sine ulla intermissione tempore sævissimo jactatur, assidue fluctus aspicit ut procellæ obnitatur. Si forte eum commoveat ille æternus quasi maris risus semper ejusdem easdem oras attentantis,

Ποντίων κυμάτων
Ἀνήριθμον γελάσμα[3],

ei statim occurrit Christianæ virtutis imago quæ *stabilis atque inconcussa, contra omnes incursus atque impetus oblatrantium fluctuum, velut petræ objacentis fortitudine et mole, debet obsistere*[4].

Sed non in eis rebus liberis pacatisque versatus quibus diu Augustinus fruitus est, vir pectoris apostolici vigore præditus, neque amœnissimis sermonibus indulgere, neque antitheta librare poterat. Heu! ante omnia lacrymas rerum ebibit; sæpius et tristitiæ et acerbitatis ei nube obtegi universus mundus videtur. Bella scilicet frequentiora, infecundas arbores, ver minus lætum, orbem denique senescentem arbitratur. Imo qui vivere incipiunt, jam senes esse eos

1. Augustin., *Confession.*, edit. Benedictin., l. XIII, c. xx, num. 3.
2. O mare, o littus, verum secretumque μουσεῖον, quam multa inveniris, quam multa dictatis! Plin. J. lib. I, IX lit.
3. Æschyl. *Prometh.*, v. 88.
4. *Ad Cornelium, Epist.* LIV, 2.

existimat[1]. Unumquemque nostrum, Plinii more, vitam a gemitibus auspicari notat : « Omnium nescius et ignarus, nihil aliud novit in illa prima nativitate quam flere ; providentia naturali lamentatur, vitæ mortalis anxietates et labores, et *procellas mundi quas ingreditur*, in exordio statim suo ploratu rudis anima testatur. Sudatur enim quamdiu istic vivitur et laboratur[2]. » Christianorum casum dolet omnibus malis oppressorum. « Præter varias et assiduas tentationum pugnas, in persecutionum quoque certamine patrimonia relinquenda sunt, subeundus carcer, portandæ catenæ, animæ impendendæ, gladius, bestiæ, ignes, cruces, omnia denique tormentorum ac pœnarum genera fide et virtute patientiæ perferenda[3]. » Qui quum inter tot et tanta fidelium mala, inter supplicia martyrum vitam agat, ex eis quandoque figuras usurpat. Lividus, ut exemplo utar, qui alienis bonis invidet, inquit, quosdam pectori suo admovet *carnifices*, cogitationibus et sensibus suis adhibet *tortores qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta malivolentiæ ungulis pulsent*[4]. Eodem modo Boetius qui et multis malis interfuerat, exclamare[5] :

Hinc enim libido vexat
Avidis corda venenis ;

1. *Ad Demetrianum*, IV.
2. *De Bono Patientiæ*, c. XII.
3. *Ibidem*.
4. *De Zel. et livore*, VII.
5. *De Consol. philos.* IV.

Hinc flagellat ira mentem,
Fluctus turbida tollens,
Mœror aut captos fatigat
Aut spes lubrica torquet.

Est aliquod tamen quo Cypriani mens extollitur, quo summopere delectatur, martyrum dico gloriam. Quibus enim laudibus eos prosequitur! Quam vehementer eis invidet atque studet! Modo illorum *rosas* et *coronas purpureas* felix[1] et elatus celebrat; modo qui *martyrii poculum hauriunt*[2] de eis magnifice prædicat. Imprimis vero Aurelii virtutem historiamque enarrat quam ad animos commovendos idoneam admodum arbitror[3].

Aurelius adolescens, artibus imbutus honestis christianaque fide inflammatus, egregie Christum confessus, primum pulsus patria, deinde « certamine fortiore pugnavit, triumphator et victor in prœlio passionis. » — Tunc vulneribus insignis, modestiam maximam exhibere, optimis denique studere moribus. Quod autem tum temporis Christianis summum erat præmium, ei afferre Cyprianus statuit. Cum vero quilibet episcopus, ut jam dictum fuit, cum suis negotia communicaret necesse esset, extorris ipse, cur concilium de hoc inire nequiverit primum dicit. Aurelium exinde ad lectoris munus a se et collegis in exsilio promotum fuisse declarat.

1. *Epist.* VIII.
2. *Epist.* XV.
3. *Epist.* XXXIII.

« Placuit, ait, ut ab officio lectionis inciperet, quia et nihil magis congruit voci quæ Dominum gloriosa prædicatione confessa est, quam celebrandis divinis lectionibus personare; post verba sublimia quæ Christi martyrium prolocuta sunt, Evangelium Christi legere unde martyres fiunt; ad pulpitum venire post *catastam* [1]; illic fuisse conspicuum Gentilium multitudini, hic a fratribus conspici, illic auditum esse cum miraculo circumstantis populi, hic cum gaudio fraternitatis audiri... Vos vero orationibus insistite ut Domini misericordia cito plebi suæ et sacerdotem reddat incolumem et martyrem cum sacerdote lectorem. »

Cum igitur martyrii tanquam pabulo lætiore utitur, tum hujus facundia enitescit, tum et scripturarum sacrarum colore et proprii ingenii nervis præstat, tum omni lepore affluit, et quasi poeta vividum ducit colorem :

Floret ager; spumat plenis vindemia labris.

Jam vero tempus illud festivum undis fugit citius; etenim maturæ sunt hiemes, ac solitus tristitiæ redit nimbus. Non ita quidem de Bossuetio; e fontibus enim leni atque æquabili labens tractu, puro solo exceptus, cui nullus incurrit torrens qui fluvii manantis turbet alveum, vitro splendidior, immensus idemque incorruptus amnis in mare evadit. Ille vero perpetuis obnoxius procellis, rarius cursu tranquillo ac limpido

1. Verberum post vim crepantum, post catastas igneas.
Prudentius, *de Martyr. Calagurritanis.*

volvitur. Cum unius undas nullus ventus asperat, alter in perflatu firmus est. Uterque tamen aquarum abundantia quos irrigat campos beatissime fecundat; uterque animos salubri potione reficit atque recreat [1]. Cum Carthaginiensi martyri magnas eas acresque imagines affert naufragiis infamis aspectus maris, cum incredibilem tristitiam perditorum hominum immanitas importat, in quietissimis et politissimis temporibus Gallicanus scriptor versatus, illo præstat sedata ista oratione, rerum et animorum domina.

Ita ingenio accurato, ardenti in disciplinam studio, virtute adversis excitata, beneficentissima natura, cum sacris auctoribus assiduo commercio, Africæ cœli et maris contemplatione, incredibili denique martyrii cupiditate, rectam, nervosam, fortem, elatam, vividis exornatam coloribus, quandoque tamen tempestatis impetu turbatam scribendi rationem Cyprianus est consecutus. Libris quidem nihil candidius qui nobis tum hominis mores tum suorum animum declarant : in quibus nimirum et optimi viri sanctitatem et apostoli studium et martyris fidem intuemur, in quibus populi ardorem intuemur. Quod si fortasse quæ admittit hominum natura reperiam ea, si in Cypriano quædam acriora, si in plebe imbecilliora et mobiliora quædam videam, illa et turbulentissimis tempestatibus et regioni flagrantissimæ

1. At Carthago potens Cypriano martyre gaudet,
Cujus et ore simul profusi et sanguine fontes
Fecundaverunt Libyæ sitientis arenas.
S. Paulin., *Carm.* XXVI.

jure assigno, quippe cum nemo ab externis impulsionibus omnino tutus esse possit. Re quidem ipsa, de Cypriano cum divo Maximo sentio qui ei fuisse arbitratur et spiritalis sapientiæ plenitudinem, et Christiani pectoris infatigatam conscientiam : « Vere hic mirabilis atque omnium ubique studiis celebrandus quem sanctitas sacerdotem, peritia doctorem, fides martyrem consecravit[1]. »

1. *Homilia* II, *de S. Cypriano*, *Biblioth. Patrum*, t. VI, p. 40.

CAPUT IV.

De sancti Cypriani variis tum historiis tum legendis.

Inter monumenta quæ Cypriani facta sincere exhibent, imprimis sunt *acta* laudanda. Nonnunquam ab ipsis publicis notariis martyrum dictaque et gestas res Christiani accipiebant; sæpius vero, judicii testes, tum magistratus tum rei verba tabulis inscribebant. Sed quovis habita modo, cum ab episcopis approbarentur, fidelium terebantur manibus, et in Ecclesiis Africanis die sanctorum natali legi solebant. Jam prioris Cypriani confessionis, eo vivo, Nemesianus cæterique in metalla demissi acta manu assidua versabant, qui ad eum hæc ex metallis suis scribebant: « Quasi bonus et verus doctor, quid nos discipuli secuti apud præsidem dicere deberemus, prior apud acta proconsulis pronuntiasti, et tuba canens, Dei milites cœlestibus armis instructos ad congressionis prœlium excitasti[1]. » Quibus sane prioribus actis, post supremam egregii viri confessionem, ea addita sunt quæ et judicium et supplicium memorant. Ea vero

1. *Nemesiani ad Cyprianum epistola*, inter Cyprian. LXXVIII.

in manibus habuisse Augustinum plane constat eo quod ejus CCCIX sermo ex ipsis horum verbis contextus est. Quæ quamquam sunt apud Ruinartium ad legendum prompta, hic tamen verborum in Actis et in Augustino similium exemplum referre libet.

S. AUGUSTINUS, *Sermo* CCCIX.	CYPRIANI *Acta*, cap. II.
Cum enim Cyprianus, sanctus martyr electus a Deo, de civitate Curubitana, in quam exsilio præcepto Aspasii Paterni proconsulis missus fuerat, regressus esset, in hortis suis manebat; et inde quotidie sperabat venire ad se, sicut ostensum illi erat.	Cumque Cyprianus, sanctus martyr electus a Deo, de civitate Curubitana in qua exsilio præcepto Aspasii Paterni tunc proconsulis datus fuerat, regressus esset, ex sacro præcepto in suis hortis manebat; inde quotidie sperabat venire ad se, sicut illi ostensum fuerat.

Præter acta, libellum de viri illius vita à Pontio ipsius diacono conscriptum accepimus. Cujus quidem Pontii qui, auctore Hieronymo in *Catalogo scriptorum ecclesiasticorum*, « egregium volumen vitæ et passionis Cypriani » confecit, chartæ eo certiores habendæ sunt, quo major illi cum episcopo suo usus ac familiaris pæne fuit necessitudo, utpote qui fugæ comitem ei ac socium sese præbuerit. Imo permulti patres fortis hujus martyris laudes in concionibus memorarunt, inter quos imprimis referam Maximum Taurinensem, Fulgentium Ruspensem, Petrum Chrysologum, et potissimum Augustinum qui sæpe de eo dixit[1], quique in libris de Baptismo Cypriani adversus Donatistarum injurias causam egit. Insuper a

1. *Sermones* CCCIX, CCCX, CCCXII, CCCXIII.

plurimis jure ac recte Cypriani mentio facta fuit, præsertim vero ab Hilario, a Paciano, ab Hieronymo, a Gelasio papa, a Procopio et a Cassiodoro [1]. Hic inter eos solummodo Lactantium afferre juvat : « Unus præcipuus et clarus exstitit Cyprianus, quoniam et magnam sibi gloriam ex artis oratoriæ professione quæsierat, et admodum multa conscripsit, in suo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioso, suavi, et quæ sermonis maxima est virtus, aperto, ut discernere nequeas utrumne ornatior in eloquendo, an felicior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit. Hic tamen placere ultra verba sacramentum ignorantibus non potest, quoniam mystica sunt quæ locutus est, et ad id præparata, ut a solis fidelibus audiantur. Denique a doctis hujus sæculi quibus forte scripta ejus innotueruut, derideri solet. Audivi ego quemdam hominem sane disertum, qui eum, immutata una littera, Coprianum vocaret; quasi qui elegans ingenium, et melioribus rebus aptum ad aniles fabulas contulisset [2]. »

Ita plerique Latini, non excepto Adone, non excepta *Legenda aurea*, recte de Cypriano locuti sunt, nisi Prudentius poeta qui licet tum locis tum ætate non longe remotus, Carthaginiensem tamen episcopum pro Antiocheno martyre in carmine quandoque videtur accepisse. Etenim Cyprianum nostrum arti ma-

1. Videsis *Patrologiæ* D. Migne, t. III, in quo indicantur de Cypriano pleraque testimonia.
2. *Instit. divin.*, l. V, c. 1.

gicæ deditum fuisse declarat, cum de hoc taceant genuina et sincera sancti monumenta.

Præterea, cum civitate donatus neque in vincula unquam nec in carcerem conjectus fuerit, catenis dicit eum impeditum fuisse, atque in tenebris clausum.

> Antra latent Tyriæ Carthaginis altius reposta,
> Conscia tartareæ caliginis, abdicata soli;
> Clausus in his specubus sanctus Cyprianus, et catena
> Nexus utraque manu.
>
> Περὶ Στεφάνων, *Passio S. Cypriani*, 51-54.

Imo, anno CCCLXXIX, Gregorius Nazianzenus, ad Constantinopolitanum populum sermonem habiturus, duos Cyprianos pro uno eodemque viro habuit. Neque vero cum permultis dicendum est illum non alium quam Antiochenum martyrem laudasse, quippe qui vocet Carthaginensium decus eum pastorem quem prædicat[1], et egregios ejus libros commemoret. Verumtamen jucundissimam Cypriani Antiocheni illius ac virginis Justinæ historiam longe enarravit.

Puella igitur natalibus insignis, forma præclarissima, disciplinis honestissimis imbuta, Christum summo amore prosequebatur. Cujus cupidine subito inflammatus Cyprianus ille qui dæmonum cultor erat, ut eam sibi suisque votis habeat indulgentem, magicarum peritissimus rerum, diabolo quodam, corporum ac voluptatum amante[2], utitur. Tum adoles-

1. Τὸ μέγα ποτὲ Καρχηδονίων ὄνομα. *Orat.* XXIV, σϛ'.
2. Τῶν φιλοσωμάτων καὶ φιληδόνων, Γ'.

centula, conatibus istis summopere obstans, ad Christum confugere, Virginis Mariæ flagitare auxilium[1], sese ad jejunia et χαμευνίας *conferre*[2]. Itaque victus diabolus ad amantem accedit, eum toto animo occupaturus. Ille autem nullam sibi sperans salutem fore, ad Justinæ Deum humillime confugit, magicos comburit libros, fit denique Christianus. Post, inquit Gregorius, episcopus electus Carthaginiensis martyrium pro fide subiit.

Cyprianus ille qui Carthaginiensis episcopus apud Græcos false haberi solet, Antiochenus vel Nicomedensis quarto sæculo martyr fuisse videtur. Cujus historia, casibus repleta mirificis, præsertim cum maximique et notissimi Cypriani nitereturnomine, Orientis populos vulgo prodigiis gaudentes, summopere delectabat. Photius sane in *Bibliotheca*[3], declarat Eudociam Augustam, Leontii philosophi Atheniensis filiam, atque Theodosii junioris uxorem, Cypriani Antiocheni sanctæque Justinæ acta versibus condidisse « sensuum, inquit, nihil quidquam aut diffundendo aut contrahendo, proprietatem servavit assidue, quoad ejus fieri potuit. » Acta vero Martenius ac Durandus *Thesauro anecdotorum*, t. III, e codice S. Audoensis Rhotomagensis primum edidere. Denique, diversa acta, t. VII, septembris (anno 1770) Bollandistæ præbuerunt. Jam

1. Τὴν παρθένον Μαρίαν ἱκετεύουσα βοηθῆσαι παρθένῳ κινδυνευούσῃ, ΙΑ'.
2. Vocabulum illud pro pavimentis incubatione a Patribus græcis usurpari solet.
3. Cap. 183.

vero S. Aldelmus sæculi septimi auctor, in carmine de Virginibus, apud Canisium, *Lectionum antiquarum*[1] libro, multa canebat quibus apertissime omnibus ostendit se putasse, id nimirum quod multi, etiam apud recentes, non satis animadverterunt, Cyprianum qui in arte magica versatus est Antiochenum fuisse, non magnum episcopum Carthaginiensem[2] :

Tunc famosus erat Cyprianus fraude nugaci
Doctus in horrenda sceleratorum arte magorum,
Qui tunc auxilium spondebat ferre petenti,
Plurima schematizans sacræ molimina menti
In tantum ut diris certaret dæmonis armis.

De quo et Menœa canunt die secunda octobris :

Ἀλγεῖ Σατανᾶς καὶ πάλαι φίλον
Ξίφει φιλοῦντα συνθανεῖν Ἰουστίνῃ βλέπων·
Τμήθη, δευτερίῳ, σὺν Ἰουστίνῃ Κυπριανός.

Cypriani tandem illius confessio seu pœnitentia et oratio quandoque nostro inconsulte tributæ fuere; in editione Oxoniensi, apud Durandum, Maranum et Bollandum habentur.

Jam vero, utrumque in unum, ut ita dicam, miscens, et jucundissimam et maxime fabulosam historiam quam in latinum vertit Surius enarrat de Cypriano Simeo Metaphrastes. Cum vero nunquam græce narratio illa edita fuerit, eam ex antiquo codice Bibliothecæ Parisiensis nobis videtur exscribere operæ pretium esse. Nempe delectationem habet multam, utpote quæ Græcorum atque imprimis Metaphrastæ rerum mirarum

1. T. I, p. 744.
2. Conf. Tillemont, t. V, p. 329 et sq., et p. 719.

amantissima ingenia ex vero exprimit. Imo quo pacto factum est ut historia sincera, primigenia, αὐθεντική, in fabulam atque, ut nostri dicunt, in *legendam* desineret plane declarat. Sed de Metaphrasta dicendum est; at ne acta agam, ut aiunt, brevi expediam.

Quamvis de Simeone Metaphrasta Bellarminus[1], Bollandus[2], Baronius[3], Tillemontius[4], Bailletius[5], Dupinus[6], cæterique historici ecclesiastici locuti fuerint, de eo tamen comperta pauca dicuntur. Illum vero IV kal. decembris sanctum prædicant Græci, eumque plures fere apostolorum ætate vixisse enarrant. At sub imperatoribus Leone VI, munus sustinuisse, et sub filio Constantino Πορφυρογεννήτῳ et nepote Romano, longæ vitæ compotem, illum conscripsisse exploratum est. E M. Psello[7] de Metaphrasta nota fere omnia manarunt, qui non diu post eum floruit quique istum hymnis et panegyrico celebravit[8]. Vir sane erat, inquit Psellus, genere clarus, dives opum, atque in sanctiora principis consilia advocatus; ἐνδιαπρέψας ἐν ἀρχαῖς ταῖς τῆς κάτω συγκλήτου ὡς ἀνὴρ βουληφόρος[9], Leonis λογοθέτης[10], hones-

1. *De Scriptoribus ecclesiasticis*, ad ann. 850.
2. T. I, præf.
3. *Annal. eccles.*, IX sæc., ad ann. 859.
4. T. I, præf.
5. T. I. *Discours prélim.*, c. XXIX-XXX.
6. *Bibliothèque ecclésiastique*, t. VII, p. 8.
7. *De Psellis*, v. L. Allatium, Romæ, 1684, p. 15 et sq.
8. Λόγος ἐγκωμιαστικὸς εἰς Συμεῶνα τὸν μεταφράστην, in Allatio, *de Simeonibus*, Paris., 1664.
9. Od. 3, *de Sim.* in All.
10. Τὸν κυρίως λογοθέτην ἀξιάγαστον. (Od. 1.)

tis et Christianis artibus imbutus; quare eum cœlicolis adscriptum summis laudibus exornare decet, εὐφημήσωμεν πάντες ἐπάξιοις ᾠδαῖς τὸν μέγαν Θεοῦ θεράποντα Συμεῶνα τὸν ἅγιον λογοθέτην [1].

Sanctorum vitis conscribendis Metaphrasta imprimis studuisse videtur. Ephemeridis quidem ordinem consecutus, apostolorum, martyrum, abbatum, episcoporum, Virginum historiam singulis festis *legendam* effinxit. E patribus sane, ex actis, ex hymnis, e sinceris chartis ille multa duxit, pleraque autem excogitavit, recidens, producens, subnectens. Ipse enim in sua de diva Marinna præfatione, de sanctorum vitis componendis præcepta tradit, et quasi hagiographi artem docet. Imprimis omnia narranda esse ita ut verisimilia sint Metaphrasta præcipit. Rem sane præclaram! Namque ille miraculis, prodigiis, miris rebus summopere delectatus, de arte magica et de μεταμορφώσεσι singularibus loqui solet; sed ut historiis fidem faciat plurima civitatum hominumque tradit nomina, at sæpiùs omnia commiscet, perturbat, tempora, ætates, principes, loca. Utut sit, jamdiu apud et ipsos qui obeuntis solis partes incolunt notissimus, licet ejus libri typis nondum vulgati sint, majoribus sæpissime delectationem attulit, manuscriptis illius codicibus in monasteriis diffusis. Et sane Metaphrastæ plurimæ narrationes placent jucundæ, singulares, exquisitiores, quippe quæ Byzan-

1. Od. 1, in L. Allat.

tinorum scriptorum et ingenium et dicendi rationem monstrent, quæ animum significent a litteris non abhorrentem, quæ denique imaginandi vim mirificam declarent. Ille enim quasi scenæ personas inter se colloquentes inducit, fictitiis coloribus tabellas quaslibet imbuit, abundat ornamentis, flosculis amœnisque imaginibus distinguitur, περιανθίζει, inquit Psellus[1], λέξεσι ἀνθούσαις καὶ σχημάτων ποικίλλει ῥοδωνιαῖς. Ita tota vita Metaphrastæ juveniliter se gerit, ætasque ingravescens viriditatem ab eo non aufert, ingenio florido atque frondoso, nunquam luxuriantia compescenti. Diutissime simplices candidosque animos ille permulsit; delicatis ipsis et limatis fortasse non displicebit.

1. *Panegyricus, in Allatio de Simeonum scriptis*, p. 23.

APPENDIX.

ΒΙΟΣ ΚΑΙ ΠΟΛΙΤΕΙΑ ΚΑΙ ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΚΥΠΡΙΑΝΟΥ ΚΑΙ ΙΟΥΣΤΙΝΗΣ.

Auctore Simeone Metaphrasta.

E ms. cod. *Bibl. Imp. Paris.*, Coislin, nº 145, secul. X. — A.

Cum quinque cæterorum Bibl. Cæsar. ms. codic. variis lectionibus:

Nº 1512, secul. XII, quem indicat littera B.; hunc vero non declarat catalog.; multas lectiones varias nobis præbuit.

Nº 1524, secul. XII, quem significat C.; incolumis est.

Nº 1546, secul. XIII, in quo multa desiderantur, D.

Nº 1555, secul. XIV, in quo plures paginæ nos deficiunt, E.

Nº 1558, secul. XIV, in integro est, F.

ΒΙΟΣ

ΚΑΙ ΠΟΛΙΤΕΙΑ ΚΑΙ ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ

ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ

ΚΥΠΡΙΑΝΟΥ ΚΑΙ ΙΟΥΣΤΙΝΗΣ.

Πολλὰ καὶ μεγάλα μὲ τὰ τὴν[1] Ἀντιόχου θαυμάζειν παρακαλοῦσιν· ὅτι τε τῆς οἰκουμένης ἐπίπροσθεν[2] τὸν παρὰ τῶν ἱεροκηρύκων Χριστοῦ μαθητῶν περιχαρῶς καταβληθέντα σπόρον ἐδέξατο, καὶ χριστιανοὶ πρῶτον ἐν αὐτῇ κατὰ τὸν μέγαν Λουκᾶν ἐχρημάτισαν[3], καὶ ὅτι περ ἄνδρας τῷ βίῳ προήνεγκεν[4] εἰς (τριάκοντα)[5] καὶ ἑκατὸν καὶ ἑξήκοντα τῆς ἀρετῆς εὐαγγελικῶς τὸν στάχυν ἐκθρέψαντας[6], οὐκ ἄνδρας δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν γυναικῶν οὐκ ὀλίγας. Ἀφεὶς οὖν κάλλη[7] θαυμάζειν ναῶν, καὶ μεγέθη[8] τειχῶν, καὶ πλήθη[9] φυτῶν, εὐθηνοῦσαν[10] τε γῆν ἀγαθοῖς, ἣν ἄρδει παραῤῥέων Ὀρόντης[11], Ἰουστίναν τῷ λόγῳ διήγημα θήσομαι· ἣ τὴν καρδίαν μετὰ μακροὺς τῶν ἱερῶν Ἀποστόλων χρόνους νεώσασα τοῖς ἐκείνων διδάγμασι, στάχυν ἀθλητικὸν ἀνεβλάστησε, μάλα μὲν ὡραῖον, μάλα δὲ τῷ καρπῷ βρίθοντα. Ταύτῃ πατρὶς μὲν, ἣν ἐδηλώσαμεν, Ἀντιόχεια[12], Αἰδέσιος δὲ καὶ Κληδονία

1. Με τὴν, B. C. D. F.
2. Desunt quatuor voces, E.
3. Ἐχρημάτησαν, B. D.—Χρηματίσαι τε πρῶτον ἐν Ἀντιοχείᾳ τοὺς μαθητὰς Χριστιανούς. Πράξεις Ἀποστ., κεφ. ΙΑ′, κστ′.
4. Προήνεγκαν, B.—5. Uncis incl., quia tantum CLX dat latina lectio.
6. Ἐκθρέψαντος, B.
7. Κάλλει, B.
8. Μεγέθει, B. E.
9. Πλήθει, B.
10. Εὐθυνοῦσαν, E. F.
11. Ὀρρόντης, F. — Cf. Ptol. V, 15.—Ἀντιόχεια ἡ ἐπὶ τοῦ Ὀρόντου.
12. Ἀντιόχειαν, D.

γεννήτορες. Ἀλλὰ τουτὶ τὸ καλὸν φυτὸν πολλαῖς ἐκόμα πρότερον ταῖς ἀκάνθαις· καὶ γὰρ καὶ αὐτὴ τῶν πατέρων ἀκολουθοῦσα τῇ πλάνῃ (εἰδώλων δὲ οὗτοι θεραπευταὶ καὶ ἀντίθεοι), τὰ ἐκείνων τιμῶσα ἦν καὶ σεβομένη τὰ εἴδωλα.

Ἐπεὶ δὲ τῷ χρόνῳ τὴν ἡλικίαν προκόπτουσα, καὶ [1] στερροτέρου φρονήματος ἥπτετο, φέγγος αὐτὴν εἰσῄει θεογνωσίας, ἅτε δοχεῖον οὖσαν [2] φωτισμοῦ τοιούτου καὶ χάριτος ἄξιον· καὶ τῶν μὲν εἰδώλων ἀσθένειαν καταγινώσκειν ἤρξατο, τὸν ἀληθῆ [3] δὲ καὶ μόνον ἐπιγινώσκειν Θεόν. Ταῖς τοιαύταις τῶν [4] λογισμῶν ἀναβάσεσι τὴν ψυχὴν ἡ παρθένος προεκαθαίρουσα [5], εἰς τὴν τοῦ σωτηρίου σπόρου καταβολὴν ηὐτρεπίζετο. Ἐν ᾧ δὲ καθ' ἑαυτὴν ἔτρεφε ταῦτα, καὶ σχολάζουσα τὴν ἀκριβῆ γνῶσιν ἐζήτει παρὰ Θεοῦ, Πραύλιός τις τῶν ἐν Ἀντιοχείᾳ διάκονος ἐν ἐπηκόῳ τῆς κόρης, οὕτω συμβάν, τὰ περὶ τῆς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν καὶ Θεοῦ οἰκονομίας τε καὶ σαρκώσεως [6] διεξῄει· ὅπως μὲν ὁ τῶν αἰώνων δημιουργὸς εἰς οἶκτον ἦλθε τοῦ πλαστουργήματος, ὅπως δὲ [7] Γαβριὴλ ὁ τῶν ἄνω τάξεων ἀρχηγὸς τῇ πρὸ γενεῶν τετηρημένῃ Παρθένῳ τοῦ μυστηρίου κήρυξ εὐάγγελος [8] γέγονε, καὶ ὡς συνέλαβεν ἐν γαστρὶ, καὶ ὠδινήσασα τέτοκε, καὶ ὡς τὴν τοῦ παιδίου γέννησιν ἀστὴρ τῶν ἄλλων ἐπιδηλότατος [9] τοῖς Μάγοις ἐγνώρισε· τούτοις ἐπεξῄει τὴν ἐν τῷ ἰδίῳ κόσμῳ φανερὰν [10] αὐτοῦ [11] ἐπιφάνειαν, τὴν ἐν τούτῳ διατριβὴν, τὰ σωτηριώδη [12] διδάγματα, τὰ θαύματα, τὸν διὰ [13] ταῦτα

1. Add. ἦν, B.
2. Οὖσα, B.
3. Ἀληθεῖ, B.
4. Add. οὖν, E.
5. Προεκκαθέρουσα, B.
6. Incarnationis.
7. Τὲ, B.
8. Ἄγγελος, B.
9. Ἐπιδηλώτατος, B.
10. Deest, B.
11. Add. τὴν, E.
12. Σωτήρια, B.
13. Δι' αὐτὸν.

φθόνον, τὸν σταυρὸν, τὴν ταφὴν, καὶ τέλος αὐτὴν τὴν θείαν ἀνάστασιν. Καὶ ταῦτα μὲν ὁ Πραΰλιος· Ἰούστα δὲ τῇ ἑαυτῆς ψυχῇ τὰ ἀκούσματα ταῦτα, ὡς ἀγαθὴ γῆ[1] σπέρματα, παρεδίδου, καὶ οὕτως ἀκριβέστερον ὅσαι ὧραι πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἐμβαθύνουσα[2], τῶν μὲν εἰδώλων πολὺ[3] κατέχεε γέλωτα, τὰ δὲ τῆς ὑγιοῦς πίστεως ταῖς πλαξὶν ἐνέγραφε τῆς καρδίας· ὅθεν ἠθέλησε μὲν εἰς ὄψιν ὀφθῆναι[4] τῷ Πραϋλίῳ. Καὶ γὰρ ἀκούσασα μόνον ἦν τῶν παρ' αὐτοῦ λεγομένων, καὶ τὴν περὶ τούτων γνῶσιν τελεώτερον ἐζήτει[5] μυηθῆναι.

Ἔτι δὲ τὴν παρθενικὴν ὄψιν ἀθέατον εἶναι βουλομένη, οὐκ ἔκρινε[6] μὲν ἰδεῖν τὸν διάκονον· φοιτῶσα δὲ λάθρα παρὰ τὴν ἐκκλησίαν, ἰδεῖν οὕτως ἐπεθύμει τὸν τοῖς ζητοῦσιν ἐγγίζοντα Κύριον. Βραχὺ τὸ ἐν μέσῳ, καὶ κοινωνὸν συνεῖδε[7] ποιήσασθαι τὴν μητέρα τῶν ἐγνωσμένων. Καὶ ἵνα τί, ὦ μῆτερ, εἶπε, θεοῖς προσανέχομεν, οὓς συνιστῶσι χεῖρες ἡμέτεραι; ἵνα τί τεχνιτῶν[8] ποιήμασι προσκυνοῦμεν; ἵνα τί δὲ τὸ μὲν ἐπιβώμιον ὑφάπτομεν[9], τὴν λαμπάδα δὲ τῆς ψυχῆς οὐκ ἀνάπτομεν[10]; οὐδὲ τὸν μαργαρίτην ἐμπορευόμεθα[11]; οὐκ οἶσθα τοὺς Γαλιλαίους (οὕτω γὰρ τοὺς τοῦ Χριστοῦ θιασώτας τοῖς ἐγχωρίοις καλεῖν σύνηθες); πολλῷ οὗτοι τῶν παρ' ἡμῖν νομιζομένων θεῶν φοβερώτεροι[12]. Τούτων γὰρ εἴ ποτέ τις τοῖς εἰδώλοις ἐπιφανῇ, εὐθὺς οἱ παρ' ἡμῶν προσκυνούμενοι κλέπταις ὁμοίως ἢ δραπέταις δεδοίκασί τε καὶ ὑποφρίττουσι. Καὶ δικαίως· κλέπτουσι γὰρ ἐκεῖνοι τὴν

1. Ἀγαθῇ γῇ. F.
2. Ἐκβαθύνουσα, D. E.
3. Πολὺν, C. D. E. F.
4. Ἐλθεῖν, B.
5. Deest, D. F.
6. Οὐ κέκρινε, B. D.
7. Συνοῖσε.
8. Τέχνῃ τοῖς, B. C. D. E. — Τεχνητοῖς, F.
9. Ὑφάπτωμεν, B.
10. Ἀνάπτωμεν, B.
11. Εὐ. κατὰ Ματθ., κεφ. ΙΓ', με', μστ'.
12. Φοβερότεροι, B.

τοῦ Θεοῦ τιμὴν, ἔτι καὶ τὰς ἡμετέρας [1] παραπολλύντες [2] ψυχάς.

Ταῦτα ἔλεγε μὲν Ἰούστα· ἡ μητὴρ δὲ τοῖς λεγομένοις οὐ κατετίθετο. Πάνυ γὰρ ὑπὸ τῆς μωρᾶς κεκράτητο δυσσεβείας· ὅθεν· Μηδὲ ὁ πατὴρ, ἔφη, γνώτω τὴν ἐπιγενομένην σοι πρὸς τοὺς θεοὺς περιφρόνησιν. Ἰούστα δέ· Ἀγαπητόν μοι μᾶλλον [3], εἰ καὶ τῷ πατρὶ, ἔλεγε, καὶ παντὶ γνωρισθήσεται [4] ταῦτα· οὐδὲ γὰρ ἐν τῇ σκοτίᾳ ἔτι [5] πορεύεσθαι τὸ λοιπὸν ἀνέξομαι, καθότι μόνον τὸν διὰ Πραϋλίου γνωρισθέντα μοι Κύριον· Θεὸν ἰσχυρὸν εἶναι ἔγνων, ζῶντά τε καὶ τοὺς ἐκ πλάνης ἐπιστρέφοντας εἰσδεχόμενον. Ἡρέμα γοῦν συνιοῦσα ἡ μήτηρ οὐδὲν μὲν ἀντετίθει τοῖς λεγομένοις· τῇ σιωπῇ δὲ μᾶλλον τὴν συγκατάθεσιν ὑπεσήμαινεν [6]. Ὕστερον δὲ μιᾷ τῶν νυκτῶν, ἃ παρὰ τῆς θυγατρὸς ἤκουσε καὶ τῷ ἀνδρὶ διεσάφησεν. Ὁ δὲ τὴν ἀκοὴν οὔτε τελέως ἀπώσατο, οὔτε πάλιν εὐπαραδέκτως [7] πρὸς αὐτὴν ἔσχεν· ὑπομαχῶν δὲ φροντίσιν ἐπάλαιεν, ἕως ὕπνῳ ληφθεὶς ἀγγελικῆς ἐπιφανείσης αὐτῷ παρεμβολῆς, ἐν μέσῳ Χριστὸν ἐχούσης δορυφορούμενον, κατεπλάγη [8] μὲν ἐπὶ τῷ ὁράματι [9], αὐτοῦ δὲ καλοῦντος ἐπήκουσεν [10] εἰρηκότος· Δεῦτε πρός με, καὶ τὴν τῶν οὐρανῶν ὑμῖν χαρίσομαι βασιλείαν. Εἶτα διαναστὰς ἑτέραν οὐκ ἐζήτησε μαρτυρίαν· ἀλλὰ σὺν γυναικὶ καὶ τὴν θυγατέρα λαβὼν [11], διάκονόν τινα τῆς ἐκκλησίας ἠξίωσεν Ὀπτάτῳ τούτους [12] προσαγαγεῖν, ὃς τηνικαῦτα [13] τῆς ἐκκλη-

1. Ὑμετέρας, C.
2. Παραπολούντες, E.
3. Deest, E.
4. Γνωσθήσεται, B. C. D. F.
5. Deest, B.
6. Ὑπεσήμανεν, E.
7. Εὐπαράδεκτος, B.
8. Κατεπλάγει, A. Ceteri κατεπλάγη.
9. Ὁρώματι, B.
10. Ὑπήκουσεν, E.
11. Παραλαβὼν, B.
12. Τούτοις, E.
13. Deest, B.

σίας ἐπίσκοπος ἦν [1]. Οἱ μὲν οὖν τῇ τοῦ Χριστοῦ σφραγῖδι σημειωθῆναι ἱκέτευον· ὁ δὲ ἀνεβάλλετο ἕως Αἰδέσιος ὁ πατὴρ αὐτῷ τήν τε τῆς θυγατρὸς αὐτόματον ἐπιστροφὴν πρὸς τὸν Κύριον, καὶ τὰ τῆς ὀπτασίας ἀκριβῶς ἐξηγήσατο. Ὧν ἐκεῖνος ἀκούσας, οὐκέτι διαμφιβάλλων [2] ἦν, οὐδὲ πολλῶν ἐδεήθη τῶν βουλευμάτων· ἀλλὰ ἅμα μὲν τῷ τύπῳ τοῦ σταυροῦ καθάπερ τινὶ φρουρίῳ [3] τούτους περιτειχίζει, ἅμα δὲ τοῦ φωτίσματος ἀξιοῖ. Καὶ διετέλει Αἰδέσιος τὸ λοιπὸν [4] γλευάζων καὶ διασύρων τὰ τῆς ἀπάτης ἱδρύματα· ἱερεὺς γὰρ πρὸ [5] τοῦ τῶν εἰδώλων ἐτύγχανεν ὤν.

Ἔπειτα δὲ [6] βαθμοῦ τοιοῦδε καταξιωθείς, καὶ ἐν καθέδρᾳ πρεσβυτέρων, τὸ τοῦ Θείου [7] φάναι Δαβὶδ [8], τὸν Χριστὸν αἰνέσας, ἐλόμενός τε βίον [9] τῷ Θεῷ φίλον καὶ καθαρώτατον, ἓξ μῆνας ἐπιβιοὺς πρὸς τοῖς δώδεκα, πρὸς ὃν ἐπόθησε [10] Κύριον ἐξεδήμησεν. Ἡ μέντοι παρθένος οὐδὲν ἔπαθεν ἀγενὲς [11] οὐδὲ ψυχῆς εὐγενοῦς ἀνάξιον· ἀλλὰ τῷ θεμελίῳ μᾶλλον τῆς πίστεως τὰς χρυσοῦ καὶ λίθων τιμίων πολὺ τιμιωτέρας ἀρετὰς ἐποικοδομοῦσα [12] προέκοπτε· πάντως δὲ οὐκ ἦν οὕτω βιοῦσαν διαδράναι τὰ τοῦ Πονηροῦ σκάνδαλα· ὅθεν οὐδὲ διέδρα, ἀλλὰ καὶ πειρᾶται ταύτης, καὶ πολεμίως ἄγαν [13] προσφέρεται. Πλὴν ἀλλὰ προσεκτέον, ὅτι τε οὐκ ἄχαρι τὸ διήγημα, καὶ ὅτι δεῖ μαθεῖν καὶ ὅπως αὐτὴ [14] τὴν πεῖραν ἐπήνεγκεν.

1. Nullus optatus Antiochiæ episcopus fuit. Cf. Le Quien, *Oriens christianus*, t. II, p. 670 et sq.
2. Διαμφιβαλὼν, F.
3. Add. τῷ, F.
4. Τοῦ λοιποῦ, E.
5. Add. τὸ, F.
6. Deest, B. C. D. E. F.
7. Θεοῦ, A.
8. Ψαλμ. ρστ'.
9. Τὸν, B. C. D.
10. Ἐπόθει, B.
11. Ἐναγὲς, B.
12. Ἐπωκοδομοῦσα, D.
13. Deest, F.
14. Αὐτῇ, F.

Ἀγλαΐδας τις σχολαστικὸς [1] (ὅσπερ [2] ἐκ τοῦ κάλλους ἴσως καὶ τὸ τοιοῦτον ἔλαχεν ὄνομα), Ἀγλαΐδας οὖν οὗτος, γένους ὢν τῶν εὐπατριδῶν, καὶ πλούτῳ κομῶν, ἀφορμὰς εἶχε ταῦτα πρὸς ἡδονάς, καὶ ἀκολάστοις ὁρμαῖς ἐξεδίδοτο [3]. Διὸ καὶ τὴν παρθένον πολλάκις ἰδὼν παροδεύουσαν, καὶ πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ οἶκον ἀφικνουμένην, τῷ κάλλει ταύτης οἷα βέλει δεινῶς βάλλεται· καίτοι μαραίνειν αὐτὸ καὶ ἀμαυροῦν ἐκείνης, ἅτε σφαλερὸν καὶ ἐπίβουλον, νηστείαις ἅμα καὶ προσευχαῖς δι' ὅλου μηχανωμένης [4]. Ἀλλ' οὗτος πάνυ λίχνους ἔχων τοὺς ὀφθαλμούς, πρότερον μὲν τὰς ὁδοὺς ἐτήρει, καὶ παρεφύλαττε, καὶ ὑπαντῶν εὐφήμει [5] ταύτην, ἐπῄνει τοῦ κάλλους, μακαρίαν ἐκάλει τοῦ εὐτυχήματος. Εἶτα τὸν πόθον καὶ διὰ συμβόλων τινῶν ἐπεσήμαινε, καὶ πολλοῖς [6] δικτύοις, ὡς ἄν εἴποι τις, τὴν θήραν προκατελάμβανεν· ἀλλὰ τῇ παρθένῳ ταυτὶ πάντα λῆρος ἀκριβὴς καὶ νέμεσις ἐλογίζετο, καὶ γελᾶν μᾶλλον ἢ προσέχειν σώφροσιν ὀφθαλμοῖς καὶ ἀκοαῖς [7] ἐδόκει ἄξια.

Ἀπορήσας οὖν Ἀγλαΐδας τοῦ τοιοῦδε σκόπου, ἑτέραν ὁδεύειν ἔγνω· καὶ πρὸς γάμου κοινωνίαν [8] ἀγαγέσθαι ταύτην ἐζήτει. Ἰουστίνα [9] δὲ νύμφην ἑαυτὴν μόνῳ τῷ Χριστῷ καθομολογήσασα, τοὺς ἄλλους εὐγενῶς ἀπηξίου· Ἀρκεῖος [10], λέγουσα, νύμφιος ὁ τὴν παρθενίαν ἐμοὶ φυλάττων, καὶ μολυσμοῦ τηρῶν ἀνεπίμικτον. Τούτοις Ἀγλαΐδας τοῖς ῥήμασι πλέον ἢ βέλεσι τιτρωσκόμενος γνώμῃ [11] (καὶ γὰρ ἀποτυγ-

1. Deest tota parenth. B.
2. Ὅσπερ, A. — Ὥπερ, D. F.
3. Ἐξεδέδοτο, B. C. D. E. F.
4. Μηχανομένης, B. F.
5. Desunt duæ voces, D.
6. Πολὺς. B.
7. Ἀκοῆς ἄξια (ita leg. sent. B. C.). — Ἀνάξια, A.
8. Κοινωνείαν, B.
9. Ἰούστα, F.
10. Ἀρκετὸς, F.
11. Deest, C. D. F.

χάνων ἔρως βαρύτερός τε καὶ βιαιότερος [1]), ἐπεὶ πάντα λίθον, ὃ λέγεται, κινήσας, εὗρισκε τὴν παρθένον ἀκίνητον καὶ στερρὰν, καὶ λόγοις ἀπατηλοῖς ἀθήρατον, χεῖρα συναγαγὼν οὐκ ὀλίγην, καὶ τοὺς περὶ τὰ ἐρωτικὰ ταῦτα δεινοὺς προσεταιρισάμενος, καθ' ὁδὸν [2] αὐτῇ ἐπετίθετο, καὶ ἀπαγαγεῖν [3] ἐβιάζετο ἔνθα δὴ καὶ ἠβούλετο. Ἀλλ' εὐθὺς εἰς τὴν πόλιν καὶ τὴν τῆς μητρὸς οἰκίαν διαδοθέντος τοῦ ἀτόπου τοῦδε [4] τολμήματος, ἅμα πλεῖστοι καὶ κράτιστοι σὺν ὅπλοις ἐξῆεσαν· οἳ καὶ μόνον ὀφθέντες τοὺς βδελυροὺς ἐκείνους ἀφανεῖς ἔθεντο, οὐ χειρὶ μᾶλλον εἴκοντας, ἢ τῇ τοῦ πράγματος αἰσχύνῃ κραταιῶς ἀπελαυνομένους.

